





(Gerbert)

ZM

DE RECTO ET PERVERSO USU THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ.

AUCTORE

P. MARTINO GERBERT,


Monacho O. S. B. e Congr. D. Blasii in Silva nigra,
Em.mi & Rev.mi S. R. E. Cardinalis DE RODT,
S. Q. R. I. Princ. & Episcopi Constant. &c. &c.
Theologo.



Permissu Superiorum.

Litteris SAN-BLASIANIS. 1758.

EPISTOLA
AD
AMPLISSIMUM
PRÆSIDEM
ET
SUO QUEMQUE NOMINIS SPLENDORE
ERUDITIONISQUE LAUDE
ILLUSTRES
SOCIOS
INCLYTÆ
SCIENTIARUM ACADEMIÆ
SUB AUSPICIIS
AUGUSTÆ IMPERATRICIS
ET REGINÆ
MARIÆ THERESIÆ
ROBORETI
ET PER ORBEM LITTERARIUM
FLORENTIS.





Impenſe nobismet gratulati ſumus ego & ſodalis meus, inſigne, quo nos ornaſtis, decus, dum ſocios nos academiæ litterariæ adſciviſtis ex ultimo hercyniæ ſilvæ angulo. Venit nobis in mentem & alterutrum affati ſumus, ac compellavimus MELIBÆI apud MARONEM verbis:

Tytire tu patulæ recubans ſub tegmine fagi
Silveſtrem tenui Muſam meditaris avena!

Ac felices nos deprædicavimus, ſtudioſique quomodo veſtris reſponderemus votis cogitavimus, ut etiam publicum grati animi extet monumentum. Opportunæ mihi eam in rem viſæ ſunt diſſertationes iſtæ eo ſaltem

nomine, quod ante non paucos annos ejusmodi in conventu quodam philomuſorum primum conceptæ ſint, ad reſtituendam ſcientiarum principis theologiæ chriſtianæ dignitatem & florem: cui, quantum ſequiori ævo, perverſo theologiæ ſcholaſticæ uſu deceſſerit, noſtis equidem, ſed feliciter transfretaſtis Syrtes has cum amœnioribus degentes Muſis & Apolline in Parnaſſo veſtro. Ubi tanquam in aliqua ſpecula proſpicitis, non abs re me juvenilem hunc partum etiamnum edere, iſtamque reſumere materiam, ac κινεῖν Καμάριναν.

Neque vero eſt, cur indignemini, quod veſtram ex longinquo quæram tutelam, ne cauſa, alio & propinquo advocato, cadam. Quemadmodum enim patronis ſe ſuaque ſolent committere clientes, & tuta præſtare, ea ego mente hanc pupillarem vobis adſcripſi opellam, ampliſſimæ clientelæ dicatam; etſi uſibus deſtinatam aliorum, rudium inquam & tironum ſaltem: ne pœnitendam inſumant operam, conſument annos, prima mox fallente inſtitutione in curriculo theologiæ ſcholaſticæ, diſciplinæ utiliſſimæ, ſi rectus illius uſus fiat, prout in

pri-

prima ſua fuit origine, & ſcholaſtica audit, ad imbuendos in ſcholis principiis theologiæ chriſtianæ canditatos, exercitandosque complexu quodam ſacræ doctrinæ; quo ſe contineat, neu extra ambitum feratur perverſo multorum temporum more, uſuque inolito.

Unde mihi jam olim, cumprimum ſtadium hoc ſcholaſticum eſſem emenſus, exarſit animus *de recto & perverſo uſu theologiæ ſcholaſticæ* non tam meam, quam doctorum fama & eruditione celebriorum ediſſerere mentem, & depromere ſententiam. Ut intelligent, qui legent hæc, me nihil temere aſſeveraſſe, aut propriæ dediſſe opinioni, ſed commodis uſum auctoritatibus virorum celebrium & probatiſſimorum. Quibus ſi vos arbitri accedatis ſocii humaniſſimi, næ ego mihi de victoria plaudam & fructu ſtudioſæ juventutis, reique theologicæ incremento.

Valete.

P. MARTINUS GERBERT,
Roboretanæ academiæ ſcientiarum ſocius.

SUM-

SUMMARIA.

Caput I.
Descriptio theologiæ scholasticæ prout a prima origine primisque tractatoribus fluxit.

Caput II.
De theologiæ scholasticæ dotibus & virtutibus.

Caput III.
De depravatione theologiæ scholasticæ queremonia.

Caput IV.
De vitiis theologiæ scholasticæ generatim.

Caput V.
De vitiis dictionis theologiæ scholasticæ.

Caput VI.
De logomachiis theologicis.

Caput VII.
De multis vanis & inutilib' quæstionibus scholasticorum.

Caput VIII.
De nimio rationis usu, & neglectu fontium.

Caput IX.
De nimio dialectices, ac philosophiæ usu.

Caput X.
De neglectu artium, & subsidiorum, quæ perfectum theologum efficiunt.

Caput XI.
Impediunt scholastici augmenta scientiæ theologicæ, quia in magistrorum dictatis acquiescunt.

Caput XII.
De morum corruptelis ex scholastices vitiis oriri pronis.

Caput XIII
Mala ex depravationibus scholasticis in cœtum christianum redundantia.

Caput XIV.
Mala ex depravatione scholastices in ipsos theologos viros ecclesiæ addictos, & cœtus religiosorum redundantia.

Cap. XV.

Caput XV.

De restauratione contra depravationes theologicas, & ratione servandi illius dotes.

Caput XVI.

De remediis contra vitia dictionis, & logomachias scholasticas.

Caput XVII.

Quomodo, & quales quæstiones inutiles, ac vanæ declinandæ.

Caput XVIII.

Quomodo cavendum, ne nimium rationis usum in theologia admittamus.

Caput XIX.

De recto dialectices usu in theologia.

Caput XX.

De recto philosophiæ usu in theologia.

Caput XXI.

Quomodo reliqua scholastices vitia recto theologiæ studio corrigenda.

Caput XXII.

Ex superioribus recta veræ theologiæ ratio describitur & adumbratur.

Caput XXIII.

Fructus uberrimi talis theologiæ.






DE RECTO ET PERVERSO USU THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ.



CAPUT I.

Descriptio theologiæ scholasticæ prout a prima origine primisque tractatoribus fluxit.

I.



Conquestum olim CICERONEM legimus, jus rerum civilium dispersum, ac dissipatum per septem & triginta scriptores, duobus pene millibus librorum esse, nullis præceptionibus illigari, nulla doctrina certa

Theologia in ordinem & systema redacta.

certa tradi; quod fieri tamen e re maxime futurum censebat. Voti compos fieri CICERO non valuit, dum vixit, istius enim operis moliendi gloria ad JUSTINIANI ævum servata est. Par quidpiam de amplissima theologiæ christianæ doctrina primis nascentis ecclesiæ sæculis expeti, & desiderari poterat. Ea disciplina multis millibus ecclesiasticorum scriptorum, pontificum rescriptis, canonum decretis diffusa, atque explicata: librorum non certus & definitus numerus, sed maxima multitudo erat, in quibus doctrina christiana explicata, illustrata, perpetuis incrementis ampliata fuerat. Igitur quod jurisprudentia digestoribus suis, compilatoribusque acceptum refert, hoc theologia scholasticis gratanter debere observat *Franc.* VAVASSOR oratione de theologia scholastica, quod hinc inde vagam, liberam, & solutam adunarint, copularintque; & quod caput est, ad certas singula sedes revocaverint, atque in loca communia universam doctrinam christianam, & theologicam digestam ordinarint: ut omnia continuata serie ubique conclusionum, demonstrationum, ac argumentorum connectantur.

De prima scholasti-

II. Quod prius illud antiquorum doctri-

ctrinam dispersam colligendi studium attinet, palmam reliquis præripuit *Petrus* ille LOMBARDUS Parisiensis, qui Patrum sententias ad rem theologicam, & dogmata fidei pertinentes, quadam methodo in unum volumen sub certis titulis adstrinxit, ut idcirco nomen *Magistri sententiarum* meruerit, eosque qui ante ipsum in simili argumento versati sunt, longo post se intervallo reliquerit. CASSIODORUS (a) EUGIPIUM abbatem laudat, qui postquam se repleret lectione scripturæ sacræ ac operum S. AUGUSTINI inde composuerit theologiæ corpus in 338. capita distinctum. Videre est in veteribus analectis *Jo.* MABILLONII præfatio TAJONII episcopi Cæsar-Augustani in 5. libros sententiarum ab eodem TAJONIO ex D. GREGORII M. operibus congestos: cujus operis MABILLONIUS in suo tractatu de stud. Mon. meminit, ac singulorum librorum argumenta succincte refert, cum TAJONIUS jam sæculo VIII. floruerit. Ex libris S. AUG. similem tamen jam antea collectionem PROSPER fecit, in libello sententiarum. CYPRIANI libri tres contra Judæos, & AUGUSTINI speculum simile quid ex scripturis continent. Postea licet HILDEBERTUS

ces institutione Patrum sententias colligendo.

a

(a) Institut. divin. L. IX. c. 18.

primum Cenomanensis dehinc Turonensis episcopus ac alii simile quid elaborarint, tamen præprimis LOMBARDI opus occasionem, ac materiam amplissimam disputandi de rebus divinis posteris dedit, quo factum est, ut varii doctores hunc librum publice sint interpretati, eumque commentariis plurimi doctrina, & sanctitate præstantissimi viri, quicunque fere in theologicis quidquam moliti sunt, illustrarint, diversisque disputationibus mirum in modum amplificarint.

Systema theologicum quis primus adornarit?

III. Quatenus ad alterum illud caput, de universæ theologicæ doctrinæ sub suis sedibus locisque communibus comprehensione, attinet; quamvis hujus instituti delineationes quædam apud antiquos Patres CLEMENTIS *Alexandrini* Stromatωn octo libris: itemque Hypotyposeωn non unius auctoris: ORIGENIS etiam libris περὶ ἀρχῶν, & variis AUGUSTINI operibus contineantur: *De vera religione, enchiridio, de dogmatibus ecclesiasticis:* primus tamen, qui summam theologicam adumbraverit, *Joannes* DAMASCENUS habetur, quatuor libris de fide orthodoxa inscriptis. Ejus exemplo haud dubie Latini incitati, ac institutum secuti, μεθοδικῶς theologiam tra-

tractare cœperunt, quævis ad destinata capita reducendo, indeque tot summæ theologicæ emanarunt. Scholastici ut alia pleraque, hoc etiam ARISTOTELIS fecerunt exemplo: is enim primus quæcunque tractavit, in artis formam ac faciem redegit: *Quo nomine*, inquit Ludovicus VIVES, (a) *haud facile quis dixerit, quantum ei studia & disciplinæ omnes, quantum studiosi ipsi debeant: sparsa enim collegit, congesta digessit, confusa distinxit, obscuris attulit lumen, omnia ita reddidit concinna & apta, ut percipi facile ac teneri queant.* a

IV. Ut vero res tantopere diffusa, ac tam late patens, cujusmodi doctrina theologica est, explicari commode, combinari opportune, & perstringi summatim posset, opus fuit dicendi genere compresso, quo paucissimis verbis quam plurima comprehendi possent: istud suppeditavit, vel potius ejus consilium suggessit ejusdem ARISTOTELIS philosophia, quæ tunc temporis ex Asia Arabibus illis doctissimis AVINCENNA, qui circa medium sæc. XI., AVERROE, qui centum annis post vixit, aliisque primo in Hispaniam, tum reliquam Europam, cum aliis scientiis medicina, ma-

Dicendi genus scholasticorum, a quo primú ortum?

 thema-

(a) Lib. I. de causs. corr. artium.

thematica &c. illata, inclarefcere, ftudiofiffimeque coli cœpit; jamque preffus ille,& concifus ARISTOTELIS differendi, docendique mos præ PLATONIS uberi, & copiofo, quo antiquiores Patres ufi funt, increbuit.

Philofophia hac occafione inducta in theologiam.

V. Quingenti anni funt, & quod excedit, cum hi aliique Arabes, Alcorani fomnia pertæfi, totos fe ftudio, & difquifitioni naturæ tradiderunt, ARISTOTELIS philofophia comprimis ufi: inde etiam chriftianos aggreffi telis ex ARISTOTELE petitis, doctoribus chriftianis neceffitatem impofuerunt, eadem contra eos arma fumendi. Qua occafione dialectica in fcholas chriftianas introducta eft: hacque theologia etiam contra fophiftas iftos armata eft. Sed hæc ipfa ferventior philofophiæ Ariftotelicæ impenfa opera, cujus initium TRITHEMIUS *Petro* ABAELARDO tribuit, in caufa fuit, ut non differendi folum ratio dialectica, ac difputandi modus in theologiam invectus fit, fed humanæ rationis etiam frequens ufus ratiocinationes, rebus partim fide cognitis, partim naturæ lumine philofophiæ ope illuftrato perfpectis, mixtæ invaluerint: atque jam tota theologia per organum logices, & metaphyfices tranfigeretur.

ARI-

ARISTOTELES hoc modo ſummam auctoritatem eſt nactus, ut in naturalibus, & ad lumen rationis pertinentibus pro oraculo haberetur, nec cuiquam in mentem veniret ejus ſententiæ refragari. Iſtis quidem principiis conſtitit, iſtis ex incunabulis ſcholaſtica theologia provecta, tali lacte pota excrevit, ex qua tot fortes athletæ, invicti heroes, *fontes vitæ*, *doctores irrefragabiles*, *fundatiſſimi*, *ſolemnes*, *illuminati*, *reſoluti*, *facundi*, *univerſales*, *ſingulares*, præclara nomina! egreſſi ſunt.

VI. Qui impenſius huic ſcholaſtice favent, & addicti ſunt, his primordiis non contenti, ejus originem vel ab ipſo mundi exordio ab ADAMO repetunt, aut ſaltem illius initia ad CHRISTUM Dominum, & apoſtolos ponunt: *Siquidem*, ut ait CARBO (a) inſignis ſcholaſticus, *hujus doctrinæ ſubſtantia in hoc ſita eſt, ut diſputando vera religionis dogmata confirmet, & defendat, erroresque adverſariorum refellat.* Sed hæc (cum bona viri venia dixerim) generaliora ſunt, quam ſcholæ theologicæ ſuæ patrocinentur. Origo illi ab ADAMO ducta, certe non aliam ſtemmatis nobilitatem conciliat, quam cuique hominum, ſi,

De prima origine ſua opiniones ſcholaſticorum.

a

(a) *Lud.* CARBO Intr. in theol. L. I. c. 8.

si, se ab ADAMI stirpe ortum jactare collubeat. CHRISTUS Dominus, & apostoli, PAULUS comprimis, acute disputarunt, Judæorum objectas nonnunquam fallacias, & sophismata diluerunt; sed sicuti loqui hominibus, sic unum ex alio concludere rationi humanæ commune est, atque omnis, qui ratiocinatur, uti quidem ratione dicitur, scholasticus esse non probatur. Sed hoc illis condonandum est, qui partium suarum studio longius aberrant, & causæ bonitati parum fortasse confisi, optimos patronos, ceu causidicos, inquirunt.

Vera scholastices origo.

VII. Nobis de scholasticæ hujus theologiæ crepundiis ita videtur: scilicet accidit theologiæ christianæ, quod videmus aliis scientiis evenire, ut pro diversis hominum ingeniis ac studiis variam accipiant faciem. Non solum autem hæretici, ac infideles in causa fuerunt identidem, ut theologis necessitas incumberet, prout varia arma illi ad lacessendam fidem struebant, hi iisdem se instruerent ad eos debellandos. Hinc a principio statim christianismi, prout errores innumeros philosophica commenta proferebant, ita iisdem occurrendum fuit. Verum diversa studia doctorum etiam catholicorum, varietatem in divinam intulit

tulit

tulit philoſophiam. Accidit autem ut poſt plura ſæcula a data per CHRISTUM cœleſti, ac revelata doctrina, fontes iſti ſacri non tam frequenter biberentur, aut tantum in rivulis. Deinde paulatim magis ac magis ad ciſternas veteres rationis & philoſophiæ itum: rem eo deveniſſe, quo eam partim oculis cernimus, partim proximorum temporum hiſtoria litteraria intelligimus, mirum non eſt. Sed illa, de qua modo agimus, theologiæ mutatio ultra undecimum ſæculum proferri non poteſt: poſt hæc enim tempora fuerunt quidam, qui theologiæ tractationem nonnihil interpolarent, ſed ſtudio innocuo. Inter hos LANFRANCUS, quem ſecuti ſunt GUITMUNDUS, HUGO *de S. Victore*, aliique: mox tamen in abuſum res tracta. Unde de ABAELARDO extant S. BERNARDI querelæ, quod dialecticam ARISTOTELIS theologiæ intulerit. Idem ab OTTONE *Friſingenſi* carpitur, quod incaute miſcuerit theologiæ philoſophica: & TRITHEMIUS libro de ſcriptoribus eccleſiaſticis de ABAELARDO agens, *ab hoc*, inquit, *tempore philoſophia ſæcularis ſacram theologiam ſua curioſitate inutili fædare cæpit.* Deinceps autem hoc ſtudium ſcholaſtices nomen indeptum eſt, quod illis temporibus a CAROLO uſque

M. vocarentur ſcholaſtici, qui litteras docerent ac profiterentur, ſed alio inſtituto; haud minus ac antiquiores hoc nomine vocati: quemadmodum PRUDENTIUM BEDA ſcholaſticum nominat, aut quos GENNADIUS nonnunquam ſic appellat. Qui olim in cœnobiis cæteris in ſcientia ſcripturarum excellentiores *ſcholaſtici*, vel ut tales teſte MABILLONIO ECCARDUS vocat, *ſcholæ magiſtri* ponebantur. Apud hos ſi primordia ſcholaſtices quærantur, non refragamur, hincque non dubitamus nomen ſcholaſtices veniſſe: ſed eſt aliter res intelligenda, quam olim de ſe S. HIERONYMUS fatetur, ſe aliquando de rebus divinis ſcholaſtico more egiſſe. (a)

Quam late in orbe chriſtiano & litterario pervagata ſit, & fines ſuos porrexerit theologia ſcholaſtica.

VIII. Scholaſtica noſtra diſciplina, quam modo deſcripſimus leviter, paulo poſt vivis coloribus exprimenda, non ſolum omnes ſcientias, & artes ſua methodo invaſit, verum etiam in omnes ſcholas & academias penetravit. Nullum clauſtrum, quo ipſa non pertigerit: nullum arcanum adytum ipſi impervium: in ſacra omnia ſe ingeſſit: omnium ingeniorum contentiones, omnium ordinum

(a) Vid. Theol. V. & N. circa præſentiam CHRISTI in Euchariſtia, c. 9.

num christianorum studia sibi dicavit, ac pene totum eruditionis campum possedit, vindicavitque. Ea personabant omnia doctorum pulpita, studiosorum quarumvis scientiarum subsellia: libros quoscunque viri doctores edebant, ad scholasticam fere palæstram pertinebant: ut, quos etiam vetustas servaverat alios libros variarum linguarum, artium, & disciplinarum, vix legerentur, vix locus in bibliothecis concederetur nisi in angulis, ubi cum blattis & tineis pugnarent: cum interim scholasticis concertationibus, & speculationibus omnia essent completa. Nec brevi tempore perduravit hic studiorum, ac studiosorum armariorum status, nec hactenus ubique mutatus est, etiam apud religiosos cœtus. Nolo hoc meis asseveratum esse verbis. Audiatur doctissimus *Bernardus* BEZIUS, qui hoc nostrum sæculum D. BENEDICTI, ordinem, hancque nostram Germaniam eruditione sua illustravit: *Omnia fere*, inquit is (a), *religiosarum bibliothecarum pegmata & plutei scholasticis Aristotelicoque theologicis scriptis onerati sunt, omnia scholasticis concertationibus & syllogismis personant, in omneque librorum genus offendas sæpius, quam in criticorum, utilium, exquisitorumque.*

CAP. II.

(a) BEZ. contra FONTEJUM dissert. p. 55.

CAPUT II.

De theologiæ ſcholaſticæ dotibus & virtutibus.

Præcipuæ ſcholaſtices virtutes quinque a VAVASSORE recenſitæ.

I. Quinque potiſſimum virtutes ſtatuit P. *Fr.* VAVASSOR (a), vir humaniorum & ſanctiorum litterarum laude celebris, quibus ſcholaſtica præcipue reſplendeat, eique tanquam propriæ & inſitæ ſint. Primo loco ORDINEM habet, deinde BREVITATEM, hinc PERSPICUITATEM, inde SANITATEM & SECURITATEM OPINIONUM & SENTENTIARUM; demum VIM atque EFFICIENTIAM ARGUMENTATIONUM.

Ordo virtus ſcholaſtices, in quibus conſiſtat?

II. Quod de ordine differit primum VAVASSOR, habet aliquid momenti, cum, quam concinne & gnaviter materiarum inter ſe diſpoſitionem excogitaverint ſcholaſtici, aperit & declarat his verbis: *Quid ordinatius, quam generatim de DEO ut parente noſtrum omnium, eodemque ſummo fine ſpeciatim, quo ſingula aptentur inter ſe, & in idem collineent, diſceptari.* Quod alterum ordinis in ſcholaſti-

(a) Orat. X. Quid ſcript. ſchol. juvet.

lastice caput ponit, atque in eo situm est, quod octo partes theologiæ in quatuor annos, quo spatio quivis theologicum studium emetiretur, sint dispertitæ, nescio num ordinate fieri sine omni exceptione dici queat. Quid enim est ad certa, & constituta tempora scientiarum consecutionem adstringere, quam eodem pede omnia hominum ingenia metiri? Quantis vero præjudiciis ordo hic, viam non sternit, ut tam arctis limitibus concludatur, certi fines præstituantur, ac breve tempus concedatur disciplinæ, cui integra vita, quam longe etiam protrahatur, nunquam suffecerit? Nisi experientia doceret, hæc fraudi multis fuisse, qui tenacius scrupulosiusque fixo, & determinato systemati inhærendum sibi duxerunt, eique totum theologiæ studium addixerunt, non hæc monuissem. Gaudeat igitur, & se commendet scholastice ordine illo, quo omnia suis locis aptat, ad suas classes, & capita revocat; ut quævis inter se congruant, universa latissime diffusa theologica doctrina perpetuo nexu sit producta, & singula continuata ubique conclusionum, ac demonstrationum, omniumque argumentationum serie connectantur, ut jam a nobis dictum; sicque, veluti corpus plene omnibus suis

con-

conſtans membris, integritatis decorem oſtentet.

Brevitas quæ laudanda in ſcholaſtica.

III. Altera ſcholaſtices virtus eſt brevitas, quam jure ſibi vendicat, nec quisquam in jus vocet: *Quæ vel ex eo liquido conſtat*, inquit VAVASSOR, *quod efficiat ſcholaſtice duobus tribusque argumentis tanquam punctis ea, quæ paginam apud antiquos utramque impleant. Quid argumenta dico*, pergit idem doctiſſimus vir, *cum ternis voculis, quibus rem negent, concedant, diſtinguant in tempore, earum una maximæ ſæpe ſecentur, & multi ſermonis quæſtiones?* Non mihi perinde poſtrema hæc a VAVASSORE dicta probantur, ac priora, in quibus omnem vim, & præſtantiam ſcholaſticæ brevitatis collocatam eſſe puto; quatenus nullis verborum ambagibus nuda, & aperta veritas proponatur, omnis dicendi ſuperfluitas amputetur, denique quidquid duobus verbis expediri valet, tribus non fiat.

Perſpicuitas, quatenus ſcholaſticæ conveniat.

IV. Ex iſta brevitate, etiam tertia illa ſcholaſtices virtus deſcendit, nempe perſpicuitas, quod primo intuitu mirum cui & παράδοξον videri poſſit: cum brevitas & perſpicuitas inimicæ inter ſe alias ſint, & ſæpe altera alteri obſit, ut vix unquam ſimul conſiſtere ſoleant.

Sed

Sed qui intelligendi cupidus eſt, quemadmodum brevitas & perſpicuitas in ſcholaſtice, ſi recte ſit conſtituta, non ſolum jungantur pulchre, & ſcite, verum etiam altera alterius ſit cauſa, in memoriam revocet naturam ſcholaſticæ brevitatis ſuperius explicatam, eamque accuratius diſpiciat; deinde præjudicatam opinionem de obſcuritate modernæ ſcholaſtices, utpote ei perverſo ſtudio illata, non cum ea nata, deponat neceſſum eſt: quæ qui fecerit, rem, quæ incredibilis antea viſa eſt, veritati ita conſentaneam deprehendet, cui nemo ſanæ mentis obſiſtat. Nimirum uſuvenit, ut, ſi res verborum ambagibus, & involucris veluti obnubamus, nox quædam, & obſcuritas rebus offundatur: ſecus fit, ſi ad vivum omnia reſecantur: & ita ceu in pugno, aut puncto ſiſtuntur veritates, ut uno obtutu oculis mentis expoſitæ pateant. Hæc qui perpenderit eum facile conceſſurum puto, contra quam vulgus hominum exiſtimet, brevitatem matrem interdum perſpicuitatis eſſe, & re ipſa in theologia ſcholaſtica, ſi a recto tramite non deflectat, exiſtere. Sed obſcurarunt perſpicuitatem brevis ſermonis, obſcuritate ſubtilium quæſtionum, perplexitate vocum technicarum, & notionum.

V. Has

Securitas opinionum scholasticarum.

V. Has scholastices virtutes quarta sequitur, eaque, ut mihi videtur, præcipua, securitas seu sanitas opinionum, & sententiarum, cui tute & sine omni erroris periculo committere quivis se possit. *Non labi vero*, inquit de hac dote l. c. VAVASSOR, *nihil offendere, sine metu prolapsionis consistere, aut ingredi, quam cautionem schola magna ex parte præstat, quanti sit, quamque rarum sanctissimi juxta ac doctissimi Patres exemplo docent, ex quibus admodum paucos excipias, ad quos nævus aliquis, aut etiam gravis error non adhæserit.* Hanc laudem ita sibi perpetuam hucusque conservavit disciplina scholastica, ut cæteris pene omnibus suis virtutibus perditis, nunquam dimiserit, atque quæ fidem attinent, ad ea sustinenda constantem & firmissimam se hucusque præbuerit; errores omnes cautissime declinet, nec a veri semita deflecti se sinat. Inde quidem jure a gravissimis doctoribus assertum, seu omnium potius consensu probatum merito est: temeritate non vacare eum, qui in re gravi, communi scholasticorum sententiæ contraeat; deinde hæresis suspicionem ingerere, contra unanimem eorundem omnium de fide, ac moribus opinionem stare, & sentire. Hanc autem securitatem eo facilius

cilius conſervavit ſcholaſtice, quando pugnas de rebus ad dogmatis cujuspiam caput non attinentibus confert, & acerrime decertat, materiasque adiaphoras habet propoſitas.

VI. *Excipit hanc ſalubritatem*, verba ſunt VAVASSORIS, *doctrinæ vis quædam, atque efficientia, quæ ſuprema ſcholæ virtus: non hic fallacibus præſtigiis, & captionibus contortis*, pergit ille, *locus, aut dialecticis fæce ſophiſmatum inquinatis, quæ dolo malo rem gerant, itemque paribus declinentur effugiis &c.* Quis non videt doctiſſimum VAVASSOREM veræ theologiæ virtutes narrare, depravatæ vitia non curare? Atque qualis quidem ſcholaſtice, ſi in ſua natura propius ſpectetur, ſit, ac eſſe debeat, eum delineare, non quid illi e ſuo decore ſuisque viribus deceſſerit attendere: certe enim ſi ipſi ſibi ſemper conſtaret, & ſimilis eſſet hæc diſciplina, neque a ſuo turpiter aberraret officio; ſi pari ſemper robore inſtructa incederet, nihil foret, quod cum ejus fortitudine comparari poſſet, nihil quod ſuæ non expugnarent machinæ: adverſus præſtigia, circumſpecta, ad captiones attenta, contra dolos & ſophiſmatum tela parata, denique in hoſtem armata ſem-

Vis & efficientia argumentationum ſcholaſticorum.

per consisteret, & munita: adversarii cujusvis impetum sua strenuitate repelleret, facile labefactaret vires, & propulsaret, atque hæc de quinque ab eruditissimo VAVASSORE in scholastica theologia notatis commendatisque dotibus & virtutibus prorsus singularibus.

Quantum præsidii in scholastice adversus hæreticos sit.

VII. Ex istis scholæ theologicæ virtutibus, tum maxime illa, quam ultimo loco positam vidimus, vi & efficientia argumentationum, summa illa efficacia, & robur enascitur, quo hæreticis, & quicunque demum apertæ veritati obsistunt, formidandam horribilemque se præstaret, si suas semper nosset vires, nec ipsam sese enervaret. Quid enim ad hæreticorum detegendas fallacias accommodatius esset, quam nudam apertamque veritatem ob oculos ponere, involutas fraudes in medium diem producere, obfusas veritati tenebras dissipare? Quid ad errores refellendos opportunius, quam tam presso semper pede adversarium insequi, nulla ei effugia concedere, quosvis nodos scite explicare, invictis, ut paucis rem expediam, semper armis cum adversario decertare? Hoc enim ceu proprium sibi sumit pugnatrix hæc theologia, nunquam non fortiter, utpote armis assueta, bellis enutrita, ad pu-

pugnas, ad certamina exercitata, congredi cum hoste. Qua in re illud etiam non minimum valere puto, ornatius illud, copiosiusque dicendi genus utilissimum quidem esse apud eos, qui non adversantur; quippe quod magis delectet, afficiatque, ac voluntatem commoveat, cum veritatem intellectus jam tenet, & agnoscit; adversus eos tamen, qui sese veritati opponunt, qui in acie dimicare volunt, non ita lacertosum atque robustum reperitur, ut stricta, & compressa scholasticorum docendi ratio; quæ quasi *loricata*, *& galeata*, *clypeum*, *& hastam tenens*, *contorta tela repellit*, *& retorquet*, *adversariosque ferit*, ut CARBO (a) ait.

VIII. Quod perspicue sentiunt hæretici, & ut videtur, multo exploratiores habent scholastices vires, quam ipsi scholastici. Hinc tantopere exosa illis est; ut qui jam veritati bellum indicunt, huic etiam ceu veritatis assertrici, & comiti individuæ simul se hostes pronuncient; & quod virtute adversus eam non efficiunt, calumniis tentant, ac convitiis: cum tamen ipsi diffiteri nequeant, etiam fervidissimos disputatores scholasticos nullo acri verbo quoscunque adversarios

Hinc hæreticos infensos habet.

 rios

(a) *Lud.* CARBO Intr. in theol. L. I. c. 8.

rios impetere, quod non postrema ejus est laus. Utinam vero non tam amplam ministrassent materiam carpendi ipsi scholastici, nec tantopere hanc præclaram prostituissent disciplinam, suo nomini, & ecclesiæ melius utique consuluissent. Verum de his paulo post, quæ non ipsam scholastices naturam afficiunt, sed usum solum ejus depravatum ostendunt. Suis enim est nata cum armis bellatrix hæc dea, quod de Pallade olim finxerant, eam e Jovis cerebro armatam prodiisse: verius nos dicamus divino consilio ortam in orbe cum armis scholasticen, quæ contra hostes veritatis invicte pugnaret, & adversus eos in acie semper consisteret. Quo suo munere si perfungitur, quid mirum, si contra eam adversariorum conatus exurgunt, linguæ evacuuntur? Vel hinc autem eo studiosius eam esse excolendam dudum fuit mens summi pontificis SIXTI V. sic enim in constitutione sua septuagesima septima effatur: *Hæreticorum insidiæ, & diabolicæ machinationes, quibus sacra theologia, quæ scholastica appellatur, hoc luctuoso sæculo impugnatur vehementissime, nos magnopere admonent, ut eandem theologiam, qua nihil ecclesiæ DEI fructuosius, omni studio retineamus, illustremus, propagemus: divino enim illius munere, qui solum dat Spiritum*

ritum

vitum scientiæ, sapientiæ, & intellectus &c. inventa est a majoribus nostris sapientissimis viris. Notarunt etiam docti, LUTHERUM, MELANCHTONEM, BUCERUM, CALVINUM, POSTELLUM, SERPIUM, eo potissimum nomine tam graviter invectos esse in ARISTOTELEM, quod beneficio solidioris methodi, quam ab eo scholastici mutuati sunt, falsæ rationes melius revinci valeant, quas proferunt ad ecclesiæ doctrinam destruendam, ac errores suos firmandos. (a)

IX. Sed neque apud fideles etiam theologia scholastica fructu suo caret: imprimis enim, quantum lucis præbet divinis oraculis elucidandis, explicandis difficilibus mysteriis, eique doctrinæ, unde nostra salus, ecclesiæ status, & christiana religio pendet, confirmandæ, & amplificandæ. Quod enim primo divina oracula attinet, quibus doctrina revelata continetur, quid ad eorum dilucidationem faciat scholastice, nemo inficias ibit, qui noverit, in hoc præcipue occupari hanc disciplinam, ut junctis iis rebus, & principiis, quæ nobis DEUS partim singulariter revelare non dubita-

Quid in doctrina catholica valeat scholastice.

 vit,

(a) Vid. RAPINUS : La comparat. de PLAT. & ARIST. p. 412.

vit, partim autem naturæ indidit, & rationi humanæ pervia fecit, alia inde concludat. Ista ratione efficitur, ut plurima, quæ minime quæsivissemus, prodant, & luculenter se pandant, quæque prius pugnare cum ratione videbantur, jam ei optime congruere, & consentire deprehendantur. In quo etiam secundum momentum illud versatur, quod ad explicanda sublimiora mysteria fidei nostræ theologia scholastica affert. Veritas supernaturalis veritati naturali contraria non est: *Verum enim*, ut etiam
a ARISTOTELES (a) perspexit, *vero semper est consonum*, nec fides, ut constans omnium est sententia, destruit, sed perficit naturam: & quæ sunt altiora fidei nostræ mysteria, rationis vim superant, non ei adversa sunt. Id quod, cum aliquando corporis hujus compagibus soluti erimus, apertius liquebit: tum enim *quæ nunc videmus in ænigmate, cernemus, uti sunt*. Ad hanc vero futuræ vitæ felicitatem tanto propius vel nunc accedimus, quanto altius divina mysteria rimamur, & ratione nostra pervadimus. Restat tertium illud universæ doctrinæ sartæ tectæque conservandæ, cui nostra salus, ecclesiæ status, & christiana religio nixa est, quod præstari nobis scholasti-

(a) ARIST. L. I. Ethic.

lasticen vel inde constare puto: quod universitatem rei theologicæ latissime diffusam, congesserit, & adunarit, eaque, quod caput est, semper cautione reddat & fidelitate, ea securitate tractet & dispenset, cui tuto se credat quis, & committat. Claudam universam hanc de laude, & virtutibus scholasticæ theologiæ orationem MABILONII verbis, cujus hæc de theologia scholastica est sententia, & mens, quam in tractatus sui de studiis monasticis parte secunda capite sexto sequentibus verbis declarat: *Scholastica facultas*, inquit, *perquam utilis est, ad recte disserendum de rebus ad materiam religionis spectantibus; ad stabiliendas sententias, quibus nitendum est: ad decidendas novas controversias, quæ passim insurgunt; ad enodandas æquivocationes, paralogismos, & hæreticorum sophismata; ad conciliandos denuum veterum exprimendi modos cum iis, qui nunc in ecclesia usurpantur.* (a)

(a) Vid. *Melch.* CANUS lib. VIII. de locis theol. *Lud.* CARBO Intr. in theol. L. I. c. 8. & alibi. MORINUS de pœnit. L. VIII. c. 1. 4. p. 526.

CAPUT III.

De depravatione theologiæ ſcholaſticæ querimoniæ.

Suṁorum pontificum de corruptelis theologiæ ſcholaſticæ querelæ.

I. Innumeris malis ſenſim in ſacra theologica ſeſe inſinuantibus, non defuit vel ſummi in terris CHRISTI vicarii vigilantia, vel virorum etiam perſpicacium & prudentum, theologos in pejus ruentes ad meliora ſtudia adhortantium cura; ſed nullum admonitionibus, aut precibus multi reliquerunt locum, ſuis jam vitiis inveterati, pravis ſtudiis educati homines. Ineunte jam ſæculo XIII. a GREGORIO IX. ad magiſtros Pariſienſes præſcriptam epiſtolam legimus, qua ſe graviter admodum, & permoleſte ferre ſignificat ſummus ille præſul, theologos ad varias deſcendiſſe philoſophorum tricas, inaneſque quæſtiones *oſtentandi tantum ingenii cauſa excogitatas; qui, ſpiritu vanitatis ut uter diſtenti, theologi poſitos a patribus terminos profana novitate transferre ſatagerent, ut videantur non theodidacti ſeu theologi, ſed potius theophanti.* Quid legati tum hujus ſummi pontificis GREGORII IX. tum aliorum Pariſiis in hac

hac causa egerint, multis prosequitur suo de varia ARISTOTELIS fortuna libro LAUNOJUS. Eadem de corrupta theologorum doctrina sæculo XIV. questum JOANNEM XXII. epistola itidem ad theologos Parisienses legimus: *quidam theologi* (verba sunt hujus summi pontificis) *posthabitis, vel neglectis necessariis, utilibus, & ædificativis doctrinis, curiosis, inutilibus, & supervacuis philosophiæ quæstionibus, & subtilitatibus se immiscent, ex quibus ipsius studii disciplina dissolvitur, luminis ejus splendor offenditur, & studentium utilitas impeditur.* (a) a

II. Pontificum de depravatione theologiæ querelis, quorundam ex antiquis virorum in hac ipsa palæstra præstantium, & digne versatorum testimonia adducam. TRITHEMIUS ad ea tempora delapsus in suo chronico, quibus ABAELARDUS docendi munere functus est, *ab hoc*, scribit, *tempore philosophia sæcularis theologiam sacram curiositate sua inutili fœdare cœpit.* In ABAELARDO S. BERNARDUS & GUALTHERUS *de S. Victore* graviter castigarunt. Et STEPHANUS *Tornacensis ep.*

Item aliorum doctorum.

(a) Vid. etiam GRATIANUS P. I. dist. 37. tota, præsertim autem cap. Nonne. 3.

251. malum hoc quotidie augmentum accipere vehementer conqueritur. Nec defuerunt deinceps, qui amaras eam ob rem querelas funderent. Inter quos NICOLAUS *de Clemangis*, & *Joannes* GERSONIUS (a) facultatis Parisiensis cancellarius, sidus præfulgidum, decus singulare ævi sui. Hic nobis veluti numerato recenseat, quibus scholam theologicam emendatam jam olim sua ætate desideret, quæ carpat vitia, quæ detrimenta ex ipsis in ecclesiam, doctrinam, & doctores theologicos dimanare sentiat, si malo obviam non eatur. Imprimis igitur necessariam facultatis theologicæ reformationem super hæc inter cætera requirit: ne tractentur ita communiter doctrinæ inutiles, sine fructu, & soliditate, quod per eas doctrinæ ad salutem necessariæ, & utiles in neglectum abeant; quique talibus se dedunt, biblia, & sacros doctores negligant; terminos a sanctis Patribus usitatos transmutare non dubitent, ex quo velocissima scientiæ alicujus corruptio sequatur; tales item se aliis deridendos præbeant, ut phantastici appellentur, qui nihil de solida veritate, moralibus & sacra doctrina noverint. Docet porro per inutiles quæstiones *multiplices talium ineptorum theolo-*

(a) *Jo.* GERSON. in epist. ad coll. Paris.

theologorum vias aperiri: Quia enim, verba ſunt laudati GERSONIS, *loquuntur, & fingunt ſibi ad placitum terminos, quos alii doctores, & magiſtri non intelligunt, nec intelligere curant, dicunt incredibilia, & abſurdiſſima.* Pergit deinceps enumerare incommoda ex perverſa tali theologiæ pertractatione provenientia: ſed hæc ſufficere poſſunt, unde pateat, mediis theologiæ ſcholaſticæ temporibus fuiſſe, qui correctionem peterent, & deterrimum illius ſtatum deplorarent. *Jodocus* CLICTHOVEUS in eadem Pariſina academia doctor, ac primus, qui ex illa calamum contra LUTHERUM ſtrinxit, ſermone de B. THOMA *Aquinate* a LAUNOJO relato deplorat miſeram ſui temporis theologiæ faciem, *qua*, inquit, *tam fertilis & fæcunda doctrinæ ſeges paſſim negligitur, & pro nihilo ducitur: anfractuoſa vero dogmata, captiunculas, fallacias, paralogiſmos ubertim eructantia habentur in pretio, diurna pariter & nocturna verſantur manu. Siccine, præſtantiſſimi Patres! abſtruſa divinarum litterarum ſenſa recluſum iri putandum eſt, cum ſophiſmatis, tendiculis, & argutiolis nil niſi futile quiddam & inane molientibus, alios ut peduis irretire, implicare, illaqueare contenditur?* Omnium vero oculatiſſimus in perſpiciendis theologorum ſcho-

laſti-

lasticorum corruptelis fuit *Melchior* CANUS, qui passim in opere suo elegantissimo de locis theologicis perversa plerorumque theologorum sui ævi, & utinam sui solum, studia perstringit, & inclinatum theologiæ statum sæpius luget, ut supervacaneum ducam aliquod ex eo depromere testimonium. Ita vero communia & pervulgata sunt facta mala scholastices, ut qui ea etiam agnosceret & detestaretur, ab illis tamen temperare sibi non auderet. Id de se fatetur ingenue *Jo.* MAJOR Ep. ad *Natalem* BEDAM & *Petrum* TEMPESTAM, Parisienses doctores: *Duobus*, scribit, *ferme jam sæculis transactis theologiam tractantes quæstiones mere physicas, & metaphysicas, & nonnunquam mathematicas, suis scriptis ingerere haud sunt veriti, quorum vestigiis tametsi invitus, illorum tamen exemplo innixus, similia in disputationibus nostris pertractare non erubui.* Non est hic solus e grege scholasticorum, qui contra conscientiam suam operam ingenii illis commodaverit. Nec hæc solum sunt judicia virorum doctorum, qui, quo tempore mala plurima theologiam invaserunt, quantum a colluvie ista abhorrerent, sunt testati; afferri & alia *Joan.* AVENTINI, *Jac.* FABRI Stapulensis, *Thomæ* MORI, *Orthovini* GRATII,

Al-

Alberti PIGHII, *Aug.* STEUCHI, MEDINÆ possunt; sed modus est dictis ponendus, & hæc sufficiunt.

III. Nostrorum temporum, aut eorum etiam, qui hanc ætatem proxime anteiverunt, non est opus calculos sollicite disquirere. Est enim eadem constans, & pervulgata de hac causa opinio, quam optimi quique non verbis sunt professi, sed factis suis, quod multo satius est, præclare jam docent. Ut adeo ei, qui miseratus afflictam præstantissimæ, & divinæ theologicæ disciplinæ sortem, eam pristino nitori suo restitutam avet, vestigia, quæ premat, non desint, modo in via eligenda sit circumspectus. Qua in re illud sapientis cujusdam consilium talis sequi debet: *Per viam communem ne eas.* Eam vero, quæ sit, præcognitam habeat, oportet, qui sibi cavere ab ea petit: si nimirum qua vulgus theologorum hucusque incesserat (eam enim communem esse quis ambigat?) declinet.

Nostris temporibus multi vitia theologiæ scholasticæ exploserunt.

IV. De ea, cum jam passim generatim quædam perstrinxerim, nunc etiam articulatius, quantum valuero, aliqua prosequar. De invidia minus sollicitus sum: non enim a me excogitata obtrudam.

Nostrum propositum de illis tractandi.

dam. Ea ſolum ratione ad dicendum provocatus accedo, ut ſi quid dignum in medium attulero ad theologiæ malis medendum, occurrendumque, id in effectum producatur. Viri quibus cordi eſt theologiam ſuam in ſedem, ac dignitatem priſtinam reſtitui, in me deſiderium dudum quidem excitatum, ac ardens, incenderunt, atque etiam promoverunt animum, hoc tractandi argumentum. Neque eorum laudi iſtis quidquam detractum volo, qui jam in palæſtra iſta ſtrenue decertarunt, qui ingenti numero ſunt: quorum heroica facinora ſi reticere vellem, ingrati nomen incurrerem, cum & ab illis utilitates ego maximas perceperim, & inde etiam mali hujus odium in me exarſerit, deſideriumque vindicandæ theologiæ inflammatum ſit: quod me ad auſus iſtos provexit, ut ad claſſicum tandem hoc ſuccinendum monitis, & hortationibus induci me ſim paſſus. Qui vero iſtud effectum eam, accinamque? Non tuba, non buccina, ſed velut in Palladis ſcuto horridum Meduſæ caput oculis ea, qua potero, Minerva adumbratum exponam.

CAP. IV.

CAPUT IV.

De vitiis theologiæ ſcholaſticæ generatim.

I. Ea eſt, nonnunquam humani ſenſus, & judicii perverſitas, ut quæ in artes, & ſcientias irrepſerunt vitia, ſeſeque tacite, quod plerumque fit, inſinuarunt, ut plurimum eorum cauſa in ipſas diſciplinas rejiciatur, & eæ jam in deſpectum abeant, dirisque devoveantur; quo injuſtius ſtatui, nihil queat. Iſta enim ratione pulcherrimæ artes in invidiam adductæ negliguntur: convitiis ſcientiæ laceſſuntur, conſiliis non juvantur: deliberatur, quemadmodum diſciplinæ ipſæ, non depravatio illarum tollatur. Quod ego multo deterius exiſtimo, longeque plus damni afferre judico, quam ſi, qua cui libuerit via, ea incedere permittatur. Sunt ſui humanæ menti oculi, ſunt lumina, quibus perſæpe, quæ ſint offendicula, pateſcunt, & deteguntur, ut ab iis cavere ſibi quis poſſit; ab itinere autem abſterrere plurimum detrimenti conjunctum habet. Cujus rei, qui auctores aliis ſunt, meo judicio peſſime illis conſultum volunt: Sapientiusque ſuaderent,

Vitia theologiæ eo fine afferenda, ut illis medela adhibeatur, non ſcientia ipſa deſeratur.

rent, & consilii sui gratiam merito inirent, si, qui se scopuli sint objecturi, proderent, quæ plana, & optima via, quæ diverticula fugi debeant, ostenderent. Uti vero scientiarum nulla existit, quæ utilitate careat, suumque cuivis constet pretium, dignitas, & fructus, ita singulæ pravo usu vitiari valent, & passim vitiantur: ut malevolis nunquam deesse queat, quod carpant, & apud sui similes desidiosos invidiam optimis artibus conflent, cum plerumque, quo est præstantior & sacratior disciplina, tanto perniciosioribus corruptelis pateat, & infestetur.

Brevis & compendiosa recensitio vitiorum scholastices.

II. Non est mihi sermo, de errorum fœditate, de doctrinarum & opinionum spurcitiis, quibus malesanorum capitum pervicacia, perversi homines incontaminatum castissimæ theologiæ torum commaculare sunt annisi, & quotidie anniti cernimus: a quibus ceu impudentissimis prolis illibata in sinu matris ecclesiæ, & CHRISTI sponsi intacta conservatur. De illis solum maculis loquor, ac theologiæ christianæ labibus, quæ, ipsa in sese intemerata persistente, nec quoquam ejus decori, dignitatique decedente, veluti habitum, & ornatum solum ejus consperserunt, con-

spur-

ſpurcaruntque, non tam impii, quam imperiti, & inertes homines; quibus illius majeſtati multo amplius detractum eſt, quam multorum temporum acies mentis perſpicere potuit. Ubi auri ſoliditas? Quid ſolidi in tot de mero nomine litibus, & pugnis; in tantis tam futilium inaniumque quæſtionum textis? Quid dignum divina ſcientia? Perſonant pulpita curioſis, clamoſisque diſputationibus, jejunis diſtinctiunculis, ſyllogiſmis; in quibus ſæpius ſophiſtice, quam veritas regnat: metaphyſicarum ac dialecticarum contentionum ſerra ſtridet, ſpeculationum neſcio quæ ambages trahuntur. Anne pondere illo ſanctuarii theologicæ materiæ librantur & appenduntur? An non potius res leves leviter pertractantur? Subtilitatum regnat affectatio, neſcio cujus inanis gloriolæ ex ſpeculationibus captatio, acuminis oſtentatio, veritatis illa non inquiſitio, ſed contra obſtinatio. Scientiarum illam multiplicitatem, quibus ceu ancillis theologia præclare, & commode utitur, deſidero, quas multi non ſolum neglexerunt, verum etiam vilipenderunt, & deriſerunt. Quorum tamen tam amplus eſt uſus, tam præſens opitulatio, vel ad aſſerendam, vel illuſtrandam doctrinam ſacram. Metho-

dus ratioque res theologicas pertractandi eadem ſemper barbara, & obſoleta eſt: cum viciſſitudo quædam tam grata, ac varietas tantopere delectet, eadem vero crambes ſæpius recocta, faſtidium ac nauſeam parit. Delectus earum rerum requiritur, quibus muniri theologiam condecet, unde arma contra adverſarios peti, argumenta ad tutandum veluti mœnia ſtrui, & quidquid ad invictiſſimæ arcis hujus communitionem facere poſſit, ex ſcriptura, traditionibus, conciliis, pontificum ſcitis, Patribus ex omni antiquitate accumulando, ut tuta, & immota conſiſtat adverſus quosvis inſidiantium impetus, & irruptiones: Cum frivolis plerumque rationibus, ac argutiarum acervis ſolum muniatur, præcipua vero illa, ac primaria munimenta neglectui habeantur.

Res confirmatur teſtimoniis eruditorum.

III. Hanc querelam *Franciſcus* ROSERIUS Tullenſis archidiaconus contra eos etiam inſtaurat, quibus maxime cordi eſſe debebat theologiam illibatam ſacratamque tueri. *Multi*, inquit in hiſt. cap. LXXII. *religioſi ſacræ theologiæ rivulos e puriſſimis & limpidiſſimis fontibus illorum patrum manantes in diſputationes aliasque barbaras interpretationes pluribus anfractibus, & ambagibus retorſerunt; adeo*

adeo ut quod ſincere a piis quæreretur, in quæſtiones futiles recideret & antiqua ſcripturæ claritas ſophiſticis elenchis ſubverteretur: hinc illæ lacrimæ. Alius majoris adhuc auctoritatis vir, de hoc miſero ſcholaſtices ſtatu, prout in ſcholis, academiisque viget, adhuc graviorem interponit ſententiam. Eſt is *Fr.* HARLÆUS archiep. Rotomag. cujus verba ex tomo III. myſterii Euchariſtiæ ab AUGUSTINO explicati extant, referunturque a LAUNOJO de varia ARISTOTELIS fortuna. *Iſtud*, ait, *ſuperat captum, juratorum ſcholarium, qui non mittuntur in academiam, ut artes ipſas totas, & ſcientias combibant, ſed ut litigandi, & andabatarum more pugnandi rationem perdiſcant, & ut ſeſe in variis diſputationum generibus exerceant. Crediderunt nonnulli erigere ſe, novas vires colligere, atque errores vitare, ſi ſcripturam & ſanctos patres deſererent propter ſtudium hujus methodicæ, ſeu potius nominalis theologiæ, quæ nunc dierum viget. Sed illi vehementer hallucinati ſunt, ut id, quod dubium eſt, fugiant, in arrogantiam, quæ ſemper immodicam ſecum trahit fiduciam, incurrunt, religionem affligunt, enervantque dum illam debilibus rationum momentis ſuſtentare conantur. Ob nonnullos profeſſores*, ſunt verba inſignis theologi *Hieronymi* HAN-

GESTI libro quem contra LUTHERUM de academiis edidit, *nequaquam declamanda est scholastica theologia in sophismata paulatim delapsa: Siccine apud hujusmodi vanos residet universa scholæ auctoritas? Revera minime. Ac potius exploduntur illi, ac risu habentur.* Et CANUS lib. VIII. c. I. *quemadmodum*, inquit, *nemo justus, & prudens universos adolescentes accusat, quamvis plurimum sunt libidinosi: sic quoniam ista scholastica pertinacia theologorum levium est, non omnium, inique profecto, ut modo dicebam, schola traducitur propter ea vitia, quæ non sunt scholæ, sed inertis vanæ contentiosæ scholæ.*

CAPUT V.

De vitiis dictionis theologiæ scholasticæ.

Decere res sacras ornatu quodam dictionis efferre.

I. Ut quemdam dicendorum ordinem servemus, primum a dictionis vitiis ordiamur, quæ minoris videntur momenti, & certe videri possent, nisi & multa experientia, & virorum doctorum judicio comprobatum novissemus; ubi sermonis sit neglectus, vix rerum delectum adesse, nimiam-

miamque dictionis impuritatem res etiam bonas corrumpere, nec modicum de earum pretio diminuere. In ſublimi illa, & cœleſti ſacræ theologiæ diſciplina reverendum eſſet, ne res ſanctiſſimæ verborum ſpurcitiis, & quisquiliis fœdarentur. Quis in fœtente ſtabulo res ſacras recludere irreligioſum non putet? Profundiſſima vero fidei myſteria ſermoni, qui culinam oleat, & plane barbarus ſit, commendentur? Ædes, ubi res ſacræ tractantur, & continentur incultas eſſe non ferimus, aut incomtas: exornantur tabulis, picturis auro, argento, & lapide pretioſo veſtiuntur templa, ad ſplendorem cuncta comparantur, & nitorem; in ea vero ſcientia, ubi de rebus ſacerrimis tractatio eſt, ſublimiſſima divinæ ſapientiæ arcana reſerantur, ubi altitudo divitiarum ſcientiæ DEI promitur, ornatus non ſolum omnis negligatur, verum etiam contemnatur, pretioſiſſimæ margaritæ in cœno vocabulorum lateant? Sed ſatis eſt.

Præmittuntur quædam de linguæ Latinæ uſu, & fatis medio ævo.

II. Omnis doctrina theologica ad linguam Latinam a primo ſcholaſtices ortu ad noſtra uſque tempora rediit. Ingentem cladem hæc lingua a variarum barbararum gentium irruptionibus, in Latium, & alias etiam Europæ regiones

eſt perpeſſa, quibuscum barbaries litterarum ſimul illata eſt; ut ingeniorum & humaniorum artium cultus ſenſim emarceſceret, ſcientiæque cum ſermonis puritate in occidentali imperio miſere prolaberentur. Jam ſæculo ſeptimo pauciſſimi, & vix unicus ISIDORUS *Hiſpalenſis*, ſæculo dein ſequenti *Venerabilis* BEDA, & PAULUS *Diaconus* cum paucis, litteris politioribus erant inſtructi, ac ſermonis laude florebant. Eadem temporibus inſequentibus Latinæ linguæ fuit ſors, aut deterior potius, ut ſemper in pejus labi ſit viſa. Et quamvis nono ordiente ſæculo CAROLUS M. ſcholas in occidente excitare iterum cœpiſſet, non tamen eouſque profecerunt litteræ, ut barbaries ſermonis Latini, quæ tam altas egerat radices, expelli potuerit. Inde enatæ linguæ illæ Italica, Hiſpanica, & Gallica, & ſi quæ aliæ his ſimiles ex Latina nempe & barbaris conflatæ. Quibus neſcio an non etiam illam aſſociem, ad quam hæc maxime tendunt; quæ quidem nomen Latinitatis ſervavit, proprietatem tamen multum amiſit.

Scholaſtici quantam ſibi in linguam

III. Iſte Latinæ linguæ ſtatus erat, cum ſæculo XII. theologia ſcholaſtica exorta, ac mundo illata eſt. Huic ſe totam

tam nova hæc enaſcens diſciplina credidit, & omnia ſua commiſit; atque viciſſim integram etiam illam Latinam linguam jure ſuam factam non dubitavit: ut jam cum illa pro libitu ageret, adderet, mutaret, detraheret, quod vellet. Quod enim in humanis ex nimia familiaritate uſuvenire nemo neſcit, ut contemtus paulatim naſcatur; ſic perpetuo ac quotidiano uſu hujus linguæ tanta libertate, tantaque licentia in eam debachari non erubuerunt ſcholaſtici, ut nihil non attentare in eam auderent, & quocunque libido barbaræ novitatis provocabat, impediri aut prohiberi nulla ratione poterant, quin jam depravatam linguam multis vitiis indies magis deformarent. Portenta verborum illis cogitatuum haud abſimilia procudebantur, vix ullus grammaticæ conceſſus locus, puriori ſaltem, imo etiam convitiis traducta, in contemtum & invidiam adducta eſt; ut non ſolum omnis generis barbariſmi libere graſſarentur, ſed nec ipſi ſolœciſmi multum refugerentur. *Nam quando de linguis deſperaverant*, ſunt verba *Lud.* VIVIS, (*a*) *tum auditores ſuos ad omnia, quæ traderentur, ſequaces; tum populum minime repugnantem in eam opinionem adduxerunt, cultu*

Latinam ſumſerint licentiam.

(a) L. II. de cauſis corrupt. art.

illo atque ornatu sermonis magnas atque excellentes artes tradi non posse, quidquid sic diceretur esse grammaticam, quidquid suo illo more fœde ac sordide, id demum esse ex disciplinis altissimis ac præcellentibus. Quoties illud mihi Jo. DULLARDUS ingessit? Quanto eris melior grammaticus, tanto pejor dialecticus & theologus. Quantum vero multi sibi licentiæ tribuerent in linguam hanc, alias jam satis destitutam, quam illibatam conservandi, semper studiosi fuerunt veteres, documento esse potest *leptotaton illud Latine subtilissimum de nova dialecto metaphysica viri cujusdam illustrissimi*, qui in eo argumento versari se dicit, ut novas DONATI regulas, & verborum flexiones præscribat, novamque Latino sermoni formam ac dialectum effingat, quæ nulli adhuc tentata, id autem potissimum agit, quam varie mutari vocabula possint, ad res commode exprimendas.

Fons barbariei affectatio metaphysicarum notionum.

IV. Istæc hic commemorasse opportunum judicavi, quod unde omnis scholasticorum Latinum sermonem corrumpendi natus est pruritus, ex metaphysicarum notionum affectatione, auctor iste eodem ex fonte somnia etiam sua, & deliramenta sumta referat, ut vel titulus,

ac

ac libri inſcriptio declarat. Sed pleraque ejusmodi ridicula & futilia ſint, oportet: ſenſu veluti extra orbem ferri, & naturæ ordinem relinquere, nulla nec neceſſitatis, nec veræ utilitatis cogente ratione, neſcio quo Fanatico abducente ſpiritu, ad tranſcendentia quævis tanquam mundos imaginarios pervolare. Quid adegit ipſum hunc auctorem, quod ubi in Vulgata noſtra *Matth. I. v.* 9. legitur: *JOSEPH vir ejus cum eſſet juſtus, & nollet &c.* dialecto ſua metaphyſica ipſe efferri poſſe cenſeret: *JOSEPH autem vir eſſens juſtus, & non vellens &c.* Atqui quam plurima ſcholaſticorum nova vocabula hujusmodi ſunt, quæ effingendi nulla neceſſitas fuit: cum aut Latina pura ſuppeterent, quæ idem prorſus ſignificent, aut modica inflexione vel mutatione eadem res Latine ac proprie reddi potuiſſet. Nimirum aſſueti metaphyſicis imaginationibus, & ſemper extra ſe rapti, ſimiles voces, notionibus, quas mente conceperunt, procudere non dubitabant, omnino vanas, fanaticas, non nihil affectatæ ſubtilitatis, nihil ſolidæ veritatis præſeferentes. Quare, non paucorum judicio, hic barbarus & horridus ſermo ſimul in theologiam invexit ſpinoſas quæſtiones, diſtinctionesque, quæ in-

ſtar telæ araneæ acumen aliquod oſtentant, ſed ſoliditate carent.

Neglectus proprietatis in ſignificatu vocabulorum.

V. Huic alia vicina in ſermonem Latinum invecta eſt labes, proprietatis nimirum neglectio, & Latinarum vocum ad ſenſus minus idoneos detorſio: dum ea ſignificare vocabula coguntur, eaque illis poteſtas ſubjicitur, quam minime ſuſtinent. Quod malum ſuperiori latius patet, & in totam orationem diffunditur. Voces invitas ad ſignificandam rem trahere, ad quam ſignificandam inſtitutæ non ſunt, eſt omnium fere orationis vitiorum ſentina, & ſcaturigo. Hinc aſpera, detorta, inſulſa & enervis emergit dictio: cum ſic vi quadam, & violentia omnia trahi neceſſarium ſit, tum nativus etiam linguæ color deficiat.

Inde oritur obſcuritas.

VI. Indidem aliud longe deterrimum proficiſcitur in dicendo vitium, obſcuritas. Dum enim is, qui ſcribit, poteſtatem vocabulis ſubdit, non quam in ſe habent, ſed quam affingere placet, quidni & lectori liberum relinquitur, ſentire quod lubet, ac omnia alia potius divinare, quam ſcriptoris mentem aſſequi? *Intelligendi ſermonis difficultas,* inquit,

inquit (a) *Jo.* CLERICUS, *non ex alia re major nascitur, quam ex vocibus, quibus est obscura potestas subjecta: hinc passim contingit, ut videamur nobis perspicue intelligere, quod non assequimur: aut frustra laboremus in quærendo, quæ clara notio voce quapiam designetur, cum nulla clara notio ei sit subjecta.* Quam vero hæc duo mala a CLERICO commemorata sint communia, & frequentia, ut aut intelligere quis se putet, quod minime assequitur, aut multum se defatiget in notionis significatione disquirenda, quotidiana experientia docet. Nec vero aliunde ortum suum hæc trahunt, quam quod alienæ vocibus significationes tribuantur, suis spolientur. Quei vero fieri potest, ut qui in talium lectione sese detinet, non subinde nubem, quod dici solet, pro Junone amplectatur, reique ac notionum ideas concipere sibi frustra persuadeat? Cum e cerebro auctor suo vocabula, licet non finxerit, transfuderit tamen in alium sensum, nec ad ea significanda usurparit, ad quæ nata sunt. Hinc perit principalis illa virtus, superius brevitati scholasticæ ut singularis adjudicata; nascitur autem perplexitas, quæ jam in schola & philosophica, & theologica regnat, & omnia

(a) Art. crit. P. II. c. 8.

nia intricatiſſimis nodis implicuit. Nec multi anni multis ſufficiunt, ut vis quam vocabulis tribuunt, plene intelligatur. Hinc qui ad hanc diſciplinam noviſſime adveniunt, in alium orbem delati videntur. Quo vero plus in lingua Latina pura illa, & nativa verſati antea ſunt, eo plus fere difficultatis reperiunt, ut aſſuetas de ſignificationibus nominum ideas, & notiones deponant, & novis plane ſeſe inferciant. Taceo quid faſtidii, ac ſtomachi ii ſuperare debeant, qui ab optimorum, elegantiſſimorumque auctorum lectione ad tales inficetias accedunt, aut identidem, dum his ipſis ſtudent, reſumunt.

Malum indefinitarum notionum ac vocum.

VII. Tractu temporis difficultate videamur levari, dum diuturno uſu ideis hujuſcemodi aſſueſcimus, ut nova hæc plane lingua, ſic enim appellare non dubito, ut alia quævis peregrina ſtudio, & aſſiduitate addiſcatur tandem. At contra accidere quotidie experimur; vocum abuſus caliginem etiam affundit periſſimis ſuis tractatoribus, atque eos ipſos latet, quos maxime infecit & corrupit. Admittunt termini ſcholaſtici innumeras limitationes, ita ut ne decima pars ſæpe ſignificationis locum habeat. Patet hæc res ex diſtinctionum perpe-

tuo

truo usu ac conflictu, quibus nulla non pars, quam in diversas etiam abeatur sententias, pro se uti novit. Nec hoc aliunde provenit, quam quod nulla fixa, certa, perspecta, & explorata vocibus subsit potestas; sed diversa pro genio, & lubitu cujusvis indatur, unde necessario accidit, ut quam quis de notione quadam mente conceptam habet ideam, eandem alii etiam obversari inconsulto reetur, qua sua opinione dum decipitur, ut pronum est, evenit, ut ob falsum de notionibus judicium, perperam etiam de opinione, & assertione quapiam decernatur. Imo non raro accidit, voces scholastices aut omnino notione destitui, aut ita esse obscuras, ut iis auditis nihil cogitare liceat. Hoc modo facile est in disputando ludere ac deludere adversarios. Tales nimirum, affectatio terminorum technicorum, technas facit. Non equidem negarim magnam esse vocum technicarum utilitatem necessitatemque; sed fatendum est, eas maximam stragem scientiis scholasticis intulisse, quod definitæ satis & determinatæ non sint sensu & significatu, & sic in omnes partes & facies vertumni instar mutari se sinant. (a)

CAP. VI.

(a) Ad voces technicas quod attinet, *sunt verba*

CAPUT VI.

De logomachiis theologicis.

De vocibus recte inquiritur an ad res & dogmata significanda commodum usum præstent.

I. Duplici ratione quæstio aliqua, aut lis de nomine instituta dici potest: primum cum de vocis alicujus significatu disceptatio oritur, an id quod sana fides, aut recta ratio petit, exprimat? ita apud nos jam certum, & indubitatum, auctoritate nimirum ecclesiæ stabilitum est, voce ista ὁμοούσιος idem prorsus innui, quod illis verbis apud JOANNEM indicatur: *Ego & Pater unum sumus*, quam *consubstantialitatem* nos Latini dicimus Filii cum Patre. Eadem ecclesiæ auctoritate assertum tenemus, vocem Θεοτόκος recte B. V. MARIÆ congruere, quæ DEUM nobis peperit; de quibus olim concertatio fuit. Detestanda est illa quorundam Neoteri-

ba GAUSENI commentatione de utilitate philosophiæ ad theologiam, hoc liquet dejerare, me quinque abhinc annis nihil usque adeo obscurum & perplexum audivisse, quod ego & mecum alius quilibet, qui modo annitatur, non possit sermone vulgari & quotidiano declarare: quod itaque scholæ glossematis & nos utimur, in eo orationem nostram, quod omnino æquum est, usui recepto mancipamus: quibus & illud accedit, quod audito-

tericorum protervitas, qui inter NESTORIUM & orthodoxos diſſenſum in verbis ſolum fuiſſe docuerunt. Ejusmodique quæſtiones de nomine, ſeu potius iſtiuscemodi novorum nominum invectio tantum abeſt, ut vituperari debeat, ut ſæpe ſummopere laudabilis, imo ad tuendam fidem neceſſaria ſit viſa. Sic nomen *transſubſtantiationis* cum pluribus aliis eccleſia invicte propugnat. Non fruſtra etiam inter Græcos & Latinos tempore S. HIERONYMI illa de hypoſtaſibus mota eſt quæſtio, ac diſceptata, donec de ſenſu, & intellectu inter utramque partem conſtitit. Quamvis diffitendum non ſit ſuſpicionem erroris in verbis potius non ſatis intellectis

ditoribus noſtris ad ſcholaſticorum ſcripta viam munimus, & ſimul brevitati conſulimus, cum quod longus verborum ambitus vix comprehendit, id terminus technologicus ſæpe feliciter expediat: quamquam ſane quæſita illa brevitas exortis de ipſo vocum uſu odioſiſſimis concertationibus multo majoris ſæpe conſtitit, quam quidquid illud erat, quod per hæc compendia lucrifacere ſtudebamus. Quodſi quis de iis nobis non credat (etſi ſane non video, cur experto non credatur) tum hoc uno argumento pugnabo; quod omnia ſcholaſticorum gloſſemata CHRYSOSTOMUS, HIERONYMUS, AUGUSTINUS & alii ignorarunt, quibus nemo doctior velit eſſe & haberi.

ctis, quam doctrina fuisse. Hac in re notabile est, quod a VIGILIO (a) scriptum ad propositum est: *Ecclesiasticæ*, inquit, *semper moris fuit disciplinæ, si quando hæreticorum nova doctrina exurgit, contra insolentes quæstionum novitates, rebus immutabiliter permanentibus nominum vocabula immutare, & significantius rerum naturas exprimere, quæ tamen existentium causarum veritatibus congruant & quæ magis easdem antiquitus fuisse demonstrent, non ortus novitatem mensuret.* Quin & illud extra omnem controversiam positum est, posse oriri occasiones, & passim oriri, ubi de nominibus acriter & subtiliter disquiratur, ac pugnetur: ut dum, exempli causa, novis rerum exurgentibus vocabulis, num ea apta sint, disquiritur?

Item num verum eorum apud auctores sensum attigerimus.

II. Sæpe etiam de veterum scriptorum vocibus dubitatio exoritur, quid per eas significare illi maxime voluerint. Ut puta, quid PLATO per illa sua tria principia (seu ante eum PARMENIDES, qui similiter tria principia rerum statuisse perhibetur) velit, & intelligat? Num aliquam habuerit mysterii Trinitatis notitiam? Quod a multis creditum est. Anne personarum in divinis Trinitatem,

(a) VIGILIUS M. disp. inter Ar. & Athan.

tem, qualis a nobis fide retinetur, per illa indicare voluerit, vel potius longe aliam significationem suis vocibus inditam, aliasque ideas mente conceptas habuerit? *Primum autem principium dicebat PLATO:* ΤΟ ΟΝ ΑΙΤΙΟΝ ΑΠΑΝΤΩΝ: *Ens causam omnium rerum: secundum* ΛΟΓΟΝ: *Verbum seu rationem &c. & rectorem præsentium & futurorum: tertium denique* ΨΥΧΗΝ ΚΟΣΜΟΥ: *animam sive spiritum mundi:* Secundum quidem principium a primo genitum, tertium vero a secundo affirmat. Quis etiam damnet eas Thomistarum contentiones, quibus se extricare a Jansenistarum causa nihil non tentarunt: dum hi eandem cum illis sententiam se habere videri voluerunt, suamque palliare hæresin, ceu logomachia tantum JANSENIUM a Thomistis separaret. De his & similibus nominum quæstionibus non est dubium persæpe quæri recte, & commode, si modo novitatem, temeritatem, & contendendi libidinem effugiamus.

III. Est quoddam alterum litis de nomine genus, tanto pestilentius, quanto imperceptibilius. A quo eo magis cavendum sibi quisque ducere debet, quo obscurius latet. Ejus jam aliquem veluti prægustum sub finem præceden- Malum logomachiarum quam frequens & magnum.

tis capitis, ſed necdum ſatis explicatam nec dignis coloribus depictam ſpeciem dedimus. Eſt hoc vitium ut malignitate ſua, ſic etiam temporis diuturnitate, ex quo deteſtabile eſſe cœpit, inveteratum maxime malum; jam enim antiquiſſimis temporibus ὀνοματόμαχοι male audierunt, olimque a *Critolao* PHILOTE ſunt notati ignominioſeque traducti. De noſtris temporibus quid dicam? integri jam libri de hoc graviſſimo morbo, & contagione curanda prodierunt, cujusmodi a *Samuele* WERENFELSIO nuper liber editus *de logomachiis eruditorum*. Ex quo facile eluceſcit, quam malum hoc in omni ſcientiarum genere late dominetur, quamque grave ſit, ac formidandum; quam ſit etiam res difficillima ei mederi; quam vero proficuum maxime, & ſumme neceſſarium, huic morbo afferre remedium.

A logomachiis nec theologia immunis.

IV. Hoc ex auctore adducere teſtimonium, quantas iſtud malum comprimis in ſanctiſſimam theologiam invaſiones tentarit, religione prohibeor, a quo ut in doctrina ſic in judicio iſto nihil æquum exſpectandum ſit. Uti revera inter logomachias capitales nonnullas fidei ſententias refert: illam e. c.

de

de CHRISTO adoptivo ſecundum humanam naturam filio a FELICE Urgelitano motam controverſiam. Utinam vero ea potiſſimum theologica facultas, quæ in plerisque ſcholis catholicis viget, eſſet tam libera a vanis verborum pugnis, inanibus de nomine litibus, quam eſt aliena ab errore, intemerata in doctrina; eſſet quod univerſæ rei theologicæ gratularemur. Sed longe aliter res ſeſe habet, pro vocibus paſſim, quaſi pro aris & focis, decertatur, dum interea plerique, aut diſputationis æſtu ad iſtas vacuas diſceptationes abrepti, aut opinionis præſtigiis obcæcati, nihil tale advertunt. Non loquor hic de illis exitialibus logomachiis, quæ nonnunquam eſſe poſſunt ſchiſmatum cauſæ, & unionem chriſtianam ſcindunt: dum præſertim ſemel animorum averſionibus, ac odiis locus eſt datus. De ſuis temporibus dicit GREG. *Nazianz.* orat. in laudem ATHANASII periculum aliquando fuiſſe, ne orbis terrarum fines cum ſyllabis a ſe invicem diſtraherentur. Quod hodie tam miſere lacerata ſit eccleſia, fuerunt quidem cauſæ reales, & capitales. Quis neſcit tamen, multa apud adverſarios invidia ſolius vocis ac nominis laborare? Sed de his modo non eſt agendi locus: de illis ſolum

controverſiis agimus, quæ catholicos théologos in partes ſcindit ac ſectas; nec dubitamus, logomachiis hanc ſeparationem multum deberi. De quæſtionibus agimus tot millenis, in utramque partem agitatis, ſubtilibus, humano ingenio imperviis.

Referuntur quædam logomachiarum ſcholaſticarum ſpecies.

V. Quid ſunt, ſi intimius conſiderentur, quam vanæ verborum concertationes, cum tanta contentione diſquiſitio de rebus fit, quæ cum nunquam futuræ ſint, ſi tamen ex ſuppoſito, ut loquuntur, contingerent, quales futuræ eſſent, quæritur? Eſt & aliud quoddam quæſtionum genus non infrequens, cum res inquiruntur, quas humanæ rationis acies pertingere nequit, a DEO vero tantum abeſt, ut quoquo modo patefactæ, & revelatæ ſint, ut potius eas nobis occultas ad tempus, quouſque evacuetur, quod imperfectum eſt, voluerit. Hujuſmodi ſunt complures quæſtiones *de viſionis*, ut loquuntur *beatificatione, de luminis gloriæ natura*, de quibus rebus dum homines inter ſe conferunt, quid plerumque niſi verba perdunt, rerum ipſarum penitus ignari? Utpote *quas nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis deſcenderunt*. Quæ etiam qui vidiſſet, loqui fas non eſſet.

esset. Sic PAULUS censuerat, in tertium cœlum raptus. De quibus rebus, postquam totis viribus, multis annis soliciti disquisivimus, multo incertiores sumus, quam ante. Quam multo vero utilius verba funderentur, si fassi hæc talia esse, quæ nec sermone explicari, nec sensu humano percipi possint, nos ipsos præmii magnitudine exstimularemus ad digna, hac mercede, opera præstanda: si meditando, aut aliis exponendo divinæ in nos munificentiæ largitatem perspecta divina misericordia, ac nostra miseria, divinam clementiam exaltaremus, missis inanibus verborum litibus, de rebus, quæ intellectum nostrum superant. *Stultissimum omnium fuerit*, (recte in hanc rem ait CYRILLUS (a) *Alex*.) *examini subjicere, quæ mentem nostram transcendunt, & tentare intelligere, quæ intelligere impossibile est.* Logomachi certe nulli sunt, si non hi: cum enim de iis rebus disputatur, disquiriturque, de quibus a DEO notiones nullas accepimus, fieri aliter nequit, quam ut verba, quæ funduntur, sensu destituantur.

VI. In tot vero disceptationibus, & controversiis, sæpissime ob vitiosam notionum scholasticarum, quibus abundat hæc

Logomachiæ ob voces notionibus vacuas aut obscuras.

(a) De recta fide.

hæc disciplina, obscuritatem, verbis inter se dissentiunt, contendunt, & digladiantur, nullo rerum existente dissensu. Dum neutra pars alterius mentem assequitur, aut fortassis etiam præter verba, & apparentem verborum sonum, nihil verbis notionis subjicitur. *Cum eum in finem*, sunt verba auctoris
a laudati de logomachiis (a), *theologia omnis tot horridis, menteque cassis vocibus obtenebrata esse videatur, ut in tanta caligine lites eo magis ab hominibus, omnem in disputando eruditionem collocantibus augeri possent, & ubi de rebus disputandi materia eos deficeret, de obscuris & a neutra parte satis intellectis verbis contenderent.* Plura hic non addam, alio loco plura allaturus de logomachiis in disputationibus multo frequentissimis. Nunc materiam
b D. PAULI verbis finiam. (b) *Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri JESU Christi, & ei, quæ secundum pietatem est, doctrinæ, superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate privati sunt, existimantium quæstum esse pietatem.* CA-

(a) WERENFELS. c. 2. §. 3.
(b) 1. Tim. I.

CAPUT VII.

De multis vanis & inutilibus quaestionibus scholasticorum.

I. Post hanc inanium de verbis, & nominibus litium in theologiam invectam perversitatem, proxime sequitur frequentissima de rebus futilibus vitilitigatio, per hanc sacram scientiam grassata, in eaque tota fere illius corruptio vertitur. Aliquæ jam superius summorum etiam pontificum, & virorum doctorum sunt auditæ querelæ, nunc rei necessitate poscente, ac tractationis ordine ita flagitante, singillatius quædam discutienda sunt de hac re; quæ ea, de qua modo diximus, aliquanto est deterior: *Namque*, quemadmodum sapienter a *Bacone* VERULAMIO (a) dictum est, *ut rerum dignitas verborum cultui præcellit, sic e contrario odiosior est vanitas in rebus, quam in verbis.* Libet hoc negotium D. PAULI verbis ordiri, sicut præcedens illud de logomachiis ejusdem effato clausimus. *Devita*, TIMOTHEUM suum hortatur, *profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ.* In hæc verba

Inutilibus & vanis quæstionibus scholastica theologia maxime in crimen vocatur.

a

D 4

(a) L. I. de augm. scient.

ba BACONEM (a), cujus paulo ante mentionem injecimus, differentem jam ad propositum audiamus. *Interpretatio*, inquit, *illa Paulina non magis ad suam ætatem referri, quam ad sequentia tempora deduci potest; neque theologiam tantum, sed etiam omnes scientias respicere videtur: his enim verbis duo signa indiciaque scientiæ suspectæ, atque ementitæ proponit: primum est vocum novitas & insolentia; alterum rigor dogmatum, qui necessario oppositionem, & dein altercationem inducit. Certe quemadmodum plura corpora naturalia, dum valent integra, corrumpuntur sæpius, & abeunt in vermes, eodem modo sana & solida rerum cognitio sæpenumero putrescit, & solvitur, in subtiles, vanas, insalubres, & (si ita loqui fas sit) vermiculatas quæstiones, quæ motu quodam, & vivacitate nonnulla prædita videntur, sed putidæ sunt, & nullius usus. Hoc genus doctrinæ minus sanæ, & seipsam corrumpentis invaluit præcipue apud multos ex scholasticis, qui summo otio abundantes, atque ingenio acres, lectione autem impares.... ex non magno materiæ stamine, sed maxima spiritus, quasi radii agitatione operosissimas telas, quæ in libris eorum extant, confecerunt.* Ex istis apum instar, quæ sunt salubria, non pauca

pro-

(a) Id. l. c.

promamus. Profecto non parum vigor & integritas doctrinæ scholasticæ, quam ei ut propriam maxime in superioribus vindicavimus, emarcuit. Sana & solida dogmatum doctrina in subtiles, & vanas quæstiones declinavit, & præter λογομαχίας complures etiam σκιαμαχίας, ut olim Græci inanes rerum ventilationes vocabant, in theologicis numeramus. Jure eam ob rem Du-Pinius (a) conqueritur *regnare in scholastica vanam quandam subtilitatem, humilemque vitilitigationem, gravitate scholarum christianarum prorsus indignam.*

Quod ab ipsis etiam scholasticæ theologiæ patronis agnoscitur.

II. Ne vero hæc exterorum, qui vel omnino a fide catholica, aut saltem a theologia scholastica alieni sunt, parvi pendat quis testimonia, neve mea aliquid hic conficere velle videar auctoritate tenui: juvat aliorum etiam hac de re audire sententiam; cum jam omnes, qui paulo supra vulgus scholasticorum sapiunt, ultro confiteantur, hic potissimum a scholasticis delinqui: hæcque præcipua existit causa, & ratio, ob quam passim tam male audiat scholastica theologia. *Diuturna experientia compertum, & exploratum habemus*, verba sunt doctissimi Gravesonii ora-

D 5 tione

(a) Traité de la doct. Chrét. ch. 10.

tione de recta theologiam discendi, docendique methodo, *ex ea bellatrice theologia innumeras prodire futiles quæstiones, de quibus dum theologi magno animorum æstu inter se altercantur, tumultuantur, digladiantur, non aliud quam temporis jacturam faciunt, cavillandi artem edocent, quodque caput, æternæ discordiæ semina serunt, ac fovent, quibus pax ecclesiæ haud parum perturbatur.* Cardinalis de AQUIRRE non uno loco hanc querimoniam instaurat, deploratque temporis jacturam a scholasticis fieri consuetam. Quadam ad MABILLONIUM epistola, *sæpe*, scribit, *non solum in scholis publicis, sed etiam privatis monasteriorum, magna temporis pars insumitur, jactura irreparabili, in quæstionibus prorsus inutilibus, similibus aranearum telis, in quibus nihil est, præter scholasticam quandam subtilitatem. Id mihi etiam contigisse pro more sæculi, qui etiam in religiosos viros, & claustra monastica irrepsit, fateor non absque dolore cordis mei. Multa dictavi, scripsi, & typis mandavi parum utilia, quamvis plurima ejusmodi resecaverim. Quæcunque de cetero edere contigerit, absque ea labe sane prodibunt. Quin etiam ante jam edita, si recudenda erunt, ab ejusmodi quisquiliis libera erunt, quantum mihi licuerit, nec enim omnia illa, quæ primo aspectu talia*

viden-

videntur, resecari penitus debent, cum multa eorum deserviant ad exercitationem congruam ingeniorum, & viam aperiant ad graviores alias quaestiones penitus intelligendas. CARBO (a) qui quo tempore theologia maximas corruptelas, nemine fere id percipiente, tulerat, vixit, scripsit similia. Monuisse generatim non contentus singulari capite de quaestionum bonitate & pravitate disserit, quae scholastici hominis praeclara monita, utinam secuti essent, qui cum eo eandem profitentur disciplinam: longe melior rerum suarum foret status, seque utiles, & fructuosos praebuissent ecclesiae. Sed tantum abest, ut ab his inanium quaestionum vitiis immunes se servaverint, ut etiam dum maxime gloriosi sibi visi sint, cum de rebus inanissimis quam plurima coacervare, copiose loqui, acerrime contendere possent; modoque non so-

(a) Non quaevis, *inquit*, conclusio, quae in theologia a quovis theologo demonstratur, theologica putanda est: cum nonnulli in suis scriptis quasdam conclusiones tractaverint, quae ad theologiam minime pertinent.... quae ab instituto theologico quam longissime absunt, quas qui tractant, apud quosdam, & jure quidem optimo non satis bene audiunt. Deinde non quaecunque conclusio, sive quaestio, quae agit de rebus divinis, vel ad theologiam ali-

ſolum, qui ab his ſordibus repurgare velit, ſcholaſticam ingentem laborem ſuſcipiat, verum is etiam, qui ſolum omnium iſtarum ineptiarum numerum inire cupit.

Aliorum virorum doctorum obſervationes de quæſtionibus inutilibus.

III. *Melchior* CANUS libro XII. de locis theologicis capite præſertim quinto, præclaras non ſolum de hac re præceptiones dat; verum etiam ex antiquis Patribus refert, quænam illi tanquam quæſtiones ſuperfluas aut parum, aut omnino non attingendas ſenſerint, quæ cum ſint in hac materia inſignia, legi apud ipſum merentur, ſufficit locum indicaſſe. *Ant.* POSSEVINUS *lib. III. c.* 12. vel ex ipſo D. THOMA magnum numerum quæſtionum annotavit, quæ ſint aut ex aliis ſcientiis ſupponendæ, aut omnino non tractandæ, qui eſt adeundus. Item *Ludovici* ELLIES DUPIN methodus ſtudii theologici recte inſti-

aliquo modo pertinentibus theologica cenſeri debet, cum aliquæ inutiliter, & inepte tractentur: ut quid DEUS ante mundi molitionem fecerit: ſi duo conjuges ab inferis excitarentur, an priori matrimonio eſſent ligati, & aliæ harum ſimiles quæſtiones. Memor itaque prudens theologus nominis atque officii ſui ſeria, & ad rem pertinentia tractet, & inanes, frigidas, alienasque diſputationes a PAULI monitis vitet. *L. IV. Int. th. c.* 15.

inſtituendi præſertim capite III. Videnda etiam abbatis ROGERII opuſcula de ratione ſtudii theologici, ubi præclara in hanc rem occurrunt. D. GREGORII *Nazianz.* prima de theologia oratio cautos reddere potuiſſet ſcholaſticos: docet ibi qualem eſſe theologicæ rei profeſſorem oporteat: atque quando & apud quos, & de quibus rebus, & quouſque diſputandum ipſi ſit, oſtendit: queriturque omnes eo temeritatis prorumpere, ut ſibi fas eſſe putent, de ſublimiſſimis quibusque atque obſcuriſſimis pietatis chriſtianæ myſteriis diſputare.

Quæſtiones inutiles primo de rebus manifeſtis.

IV. Liceat, quoniam in hoc ſumus per ſingula ea maxime capita, ad quæ a doctiſſimo CARBONE omnis quæſtionum pravitas revocata eſt, paucis quædam perſtringere. Igitur non ſatis mundi videntur ſcholaſtici a quæſtionibus, de rebus vel ſenſui vel rationi omnino manifeſtis, quas primo loco inter inutiles ponit CARBO: illi enim in hoc demum videntur curas ſuas omnes ac operas collocare, ut de omnibus rebus quam longiſſime diſputare valeant, ut potius ſpiritus & vita deficiat, quam verba & ſubtilia ratiociniorum tela. Non opus eſt hic ſpecimen aliquod hujus rei inquirere, dum ſtatim primas eorum paginas

ginas legenti occurrunt ejusmodi: diffunduntur que per omnes ſcholaſticos tractatus. Quæſo, quot quæſtiones diſputationi ſubjiciuntur, quibus in ſe oppido perſpicuis theologi demum aliquid perplexitatis addunt, luci caliginem offundunt? Termini ſcholaſtici obvia quævis & luce clariora perplexa reddunt: methodus autem ſcholaſtica de rebus omnibus novit in infinitum diſceptare: etiam in illis, quæ primis naturæ principiis videntur reſolvi poſſe; ſed dum ſcholaſticis ſubtilitatibus involvuntur, neſcio quid ambiguitatis, ut in quæſtionem vocari poſſint, accipiunt.

De rebus prorſus inperceptibilibus quæſtiones inutiles.

V. Deinde quod ad ea quæſita ſpectat, quæ fiunt de rebus, quæ ab hominibus nullo modo percipi poſſunt, quas ſecundo loco inter vanas collocat Carbo, eoque in genere multa reponit, quæ ad perfectam divinæ naturæ cognitionem pertinent, & alia noſtræ religionis arcana: quid non ſibi in hoc genere indulgent? quid in ſublimiſſimis myſteriis inacceſſum putant? Diſputant de rebus diviniſſimis, confidenterque de illis pronunciant? quid noſtra intereſt? aut quomodo etiam humana acie ingeniique viribus nos aſſecuturos confidimus, intimam decretorum divinorum

ab

ab æterno operationis, cognitionisque divinæ rationem omnem & naturam, circa creaturas præſertim rationales in tempore futuras, de modo loquor, eoque in theologia revelata indagando, ubi principia ſilent. Fruſtra fidei merito noſtram committimus ſalutem, ſi iſtorum theologorum ſagacitate omnia explorata & aperta fierint. Fruſtra ad alteram vitam tantopere aſpiramus, exſpectamusque tanto ardore faciem Domini; cum nihil magis inſignes quosvis theologos ad revelationem illam velaminis divinorum myſteriorum ſuſpirare faciat, quam eorum arcani receſſus. Jam olim a S. GREGORIO *Nazianz.* improbatam eam in divinis, qua ratione quævis fiant, indagandi audaciam, damnatamque novimus, cujus nixus auctoritate hæc attuli. (a)

VI. Venimus ad tertium illaudabilium quæſtionum genus contra pietatem, vel bonos mores. Nolo hic quidquam eorum attingere, quæ in ſpeculatrici illa theologia ſine omni pietatis ſenſu contentionibus, & oſtentandi acuminis ingenii gratia pertractantur, quæ velle cognoſcere pietatem nihil juvat, ſo-

Quæſtiones contra pietatem, & mores.

a

(a) Vid. Diſſert. de Radiis divinitatis in operibus providentiæ, & gratiæ.

ſolam curioſitatem ſtimulat. Nihil dicam, quantum pietati derogent plurimæ diſceptationes de modo, & ratione plerorumque myſteriorum, & rerum divinarum; quas dum modulo parvæ & exilis noſtræ intelligentiæ metiri volunt, ſæpe id efficiunt, ut nodis omnia involventes, nec aliquid dignum pro rei explicatione afferentes apud ſagaces quandoque & ſciolos rem ipſam & myſterium dubitationi, aut etiam contemtui exponant. Nihil hic afferam de illa cacoethe, dum ſcholaſticorum de omnibus rebus contrariæ inter ſe exiſtunt ſententiæ & contentiones, multis ad ſcepticiſmum horrendum, omnis impietatis ſummum apicem, occaſio præbetur: de his enim omnibus poſtea recurret dicendi locus. Eam ſolum commemorabo corruptelam, depravationemque, quæ omnis pietatis extinctionem poſt ſe trahit, atque in morali doctrina reperitur. Ibi ad ſingula capita, & momenta millies releges, *eſt peccatum mortale*, *non eſt peccatum mortale*, nulla pietatis, & decori habita memoria. Nullum ibi ad bonum ſtimulum ſenties, ſolumque a malo ceſſationem inculcatam, tum tandem, ſi mortale, ſi æternarum pœnarum jam ferax ſit. Quid mirum, ſi hinc in hominum cœtu tam frequentia ſint illa

con-

consectaria: *Non est peccatum mortale*, ut hi & illi theologi sentiunt, ergo impune hoc perpetro. Latius certe serpit hoc malum, altius multorum animis insedit hæc opinio, quam multi opinentur. Quid dicam de aliis morum corruptelis, quas invexit modus, & ratio scholastica: præsertim consectaria probabilismi. (a) Quid autem actum in ecclesia est, dum per complura sæcula fideles casuum conscientiæ summulis caruerunt, antequam multiplicatio doctorum theologiæ moralis (*omnium*, teste Ma-

(a) Sufficit si generatim dicam, *utor verbis* GRAVESONII *dissert. de vera methodo docendi, & addiscendi theologiam moralem*, alios ad nihilum pene redegisse decem præcepta decalogi, vanis & detortis interpretationibus, quas ei suggessit novum probabilitatis commentum; alios calumniam, homicidia, duella, & abortus a peccato excusasse, dummodo hæc fierent animo proprium conservandi honorem; alios usuras & simonias licitas reddidisse; alios amphibologiarum, & restrictionum mentalium usum permisisse; alios omnem ecclesiasticæ disciplinæ rigorem in administratione sacramentorum pœnitentiæ & Eucharistiæ penitus sustulisse: alios præcepta ecclesiæ de jejunio, de celebratione festorum &c. multis cavillis oppugnasse; alios denique magnum de diligendo DEO in lege gratiæ, quæ est lex amoris, præceptum elevare, totisque viribus tollere de medio tentasse. Sic novitii theologi e scho-

MABILLONIO (a), *pernicioſiſſimus ſcholaſticæ facultatis abuſus*) mundo chriſtiano illapſa eſt? Quid tum egerint fideles, quidve modo agatur; quæ veterum morum ratio, quæ noſtrorum temporum, loco laudato refert verbis pii & ſapientis epiſcopi Vincinenſis MABILLONIUS, in epiſtola ad fideles, poſita in fronte verſionis novi teſtamenti ab ipſo concinnatæ: ubi vehementer optat, ſacrum iſtum librum ipſi eſſe loco doctoris, ad rectam morum vitæque rationem.

Quæſtiones ſupervacaneæ, ſtatim initio theologiæ.

VII. Quartam ſpeciem iſtiusmodi quæſtionum CARBO conſtituit, earum, quæ in re inutili & ſupervacanea verſantur: cujusmodi cum multæ ſint in theologia ſcholaſtica, eas ſolum in præſentiarum commemorare liceat, quas prin-

la nati legem CHRISTI non ſolum ſuavem reddere conati ſunt, ſed etiam ejus onus penitus ab humeris noſtris excutere contra totius antiquitatis normam, & ſententiam. O apoſtolorum tempora infeliciſſima, *exclamat pius Carthuſianorum quondam generalis* GUJO, o viros ignorantiæ tenebris involutos, & omni miſeratione digniſſimos, qui ut ad vitam pertingerent propter verba labiorum DEI, tam duras vias cuſtodiebant, & hæc noſtra compendia neſciebant.

(a) De ſtud. mon. P. II. c. 7.

principio ſtatim ad frontem theologiæ conſtituere ſolent, & tam operoſe diſputant, *an ſit ſcientia, & qualis: quod ſit ejus objectum, materiale, formale, formale quod terminativum, quod motivum,* & hujusmodi, quæ omnia, ſi omnino excuſſeris, non plusquam ante, quid in theologiæ decurſu ſis edocendus, ſcies. Theologus quidam narrare ſolitus erat, ſe cum adoleſcens philoſophiæ operam daret, atque dictata præceptoris, uti tum moris erat, domi diligenter deſcriberet, patrem ſuperveniſſe, atque arrepta charta, cum vidiſſet prolegomena eſſe logica, cum in aliis ſatis longa, tum vero in logicæ genere demonſtrando, ſit ne ars an ſcientia; tum vero patrem indignatum, vanæque filii diligentiæ miſertum dixiſſe, apage has ambages: diſce logicam tuam, parum ſolicitus, ſit ne ars appellanda, an ſcientia. Idem theologiæ ſtudioſo, quid obeſt, quin ſuadeamus.

VIII. Nihil quæſtiones tam operoſæ & tam contentioſe ventilatæ in receſſu habent, quod non ex definitione theologiæ recte efformata poſſit derivari: conſtituto enim genere theologiæ patebit an, & ad qualem intellectus habitum ſit revocanda: differentia vero definitio- Oſtenditur earum ex definitione deciſio.

nis declarabitur ex objecto. Quid enim aliud hoc est, quam ipsa intima rei essentia, & natura, qua a cæteris discernitur? *Differentiam*, inquit PETAVIUS cap. 8. prol. theol. *res subjecta, quod vocant objectum: vel hujus tractandi modum ostendit &c.* Igitur ex notitia objecti differentia rei consequitur, nec objectum a definitione separandum: ut cum primum rei differentiam fixam statuisti, postea eandem inconstantissime quæstioni subjicias, & veluti labefactes. Objecti considerata amplitudo eam etiam dirimit litem, qualis sit scientia: an speculativa & practica, hæc enim tum ex objecto ipso, tum illud tractandi modo elucescunt. Quoniam vero humanus intellectus quodvis objectum non eadem ratione contemplatur, eaque diversitas scientiarum etiam generat diversitatem, patet necessario ad rei definiendam ab aliis secretionem, rationem attendi debere, qua suum attingit objectum, v. c. an theologia lumine naturali, an revelationis, conjunctæ cum ratiocinatione, utatur; hinc deducitur, quid naturale, quid supernaturale in nostra sit theologia. Itemque ex objecti & principiorum perspecta natura de subalternatione theologiæ nostræ cum illa beatorum solvitur litis contestatio. Eadem reliquarum quæstionum est ratio. IX.

IX. Quoad quæſtiones, quarum *medium* ex ſe non eſt idoneum, & accommodatum ad eas probandas, quas item CARBO inter vitioſas rejicit: non utique is omnia ea a theologica tractatione arcenda putabit, quorum *media* penitus accommodata non ſunt, niſi omnem fere theologiam evacuare lubeat; terreni enim, cum de divinis tractamus, quid idoneum afferre nos poſſe, putemus? Sunt quædam in divinis; quorum etiam in natura intellectus & ratio humana quædam veſtigia deprehendit; ſunt contra, ad quæ noſtra capacitas ne a longe quidem accedere valet. Sed ſcholaſtici omnia ſua ſagacitate perveſtigare conati ſunt. Nihil eſt tam ſublime in divina natura, quo ipſi non avolare ſtuduerunt: nihil tam altum in divinis conſiliis ac decretis circa gubernationem univerſi, quod non indagarint: nihil tam abditum & arcanum in myſteriis, quod detegere non allaborarint. Et quod ſodes! *medium* in his omnibus rebus adhibuerunt? Scilicet rationes, ratiocinationesque humanas, commenta a ſe excogitata & inventa, cum ſolus DEUS hæc nos docere poſſit. Sicut enim ſenſum hominis, juxta apoſtolum, nemo novit, niſi ſpiritus, qui eſt in homine; ita DEUM nemo novit, niſi Spiritus

Quæſtiones ad quas diſceptandas vires noſtræ intelligentiæ ſunt impares.

DEI. Beatus dicitur SIMON, de eo, quod ei caro & ſanguis non revelavit, ſed Pater cœleſtis. Eæ igitur ſunt veræ theologicæ quæſtiones, quæ *medio* fidei diſcimus, & eatenus in ſcientia theologica progredi debemus, quouſque fide prælucente pertingere licet. *Nam quod ultra humani ſenſus intelligentiam Dominus de ſe profeſſus eſt*, inquit
a HILARIUS (a) *quantis poteſt potentiæ exemplis ad intelligentiam fidei coaptat innuens, ut quod ab homine per naturam hebetem non capitur, id fides tamen rationabili ſcientia conſequatur, quia neque non credendum de ſe DEO eſt, neque opinandum extra rationem fidei eſſe intelligentiæ poteſtatem.* Iſta ſanctiſſimi viri monita optandum eſſet, ſecutos eſſe ſcholaſticos, & hos limites præſtitutos non nimium quantum hucuſque exceſſiſſent, rationi humanæ tanta tribuentes, quod palmare ſcholaſtices eſt vitium, de quo paulo poſt amplior dicendi locus erit. Quemadmodum etiam quæ a CARBONE ſexto loco de ſcopo theologicarum quæſtionum dicuntur, qui ſit præfigendus, in ſequentibus, quantum a ſcholaſticis delinquatur, dicetur.

X. Dum

(a) Lib. I. de Trinit.

X. Dum ſeptimo dicit, poſſe quæſtionem, alias honeſtam, ratione perſonarum, locorum, & temporum incongruam reddi; cum ex rerum, ac perſonarum circumſtantiis pendeat, ut circumſtantiæ occurrunt, ſic ſunt judicandæ. Iſtud generatim redarguendum videtur, nihil minus eſſe accommodatum tempori, & præcipue ingeniorum delectui, & diverſitati, quam pleraſque eorum argutias, & ſubtilitates, quibus omnes, qui ad ipſos accedunt, obruunt. Quæ cum a multis minus acutis non ſatis capiuntur, poſtquam optimam ætatem in illis conſumſerunt, a reliquis etiam ſtudiis abſterrentur, aut ob profectiorem jam ætatem, vel etiam alias cauſas inepti redduntur: cujus rei quotidiana exempla ſummo animi mœrore contueri cogimur. Demus autem omnes quæſtiones, & diſceptationes, a ſcholaſticis theologis agitari ſolitas, ſua non carere utilitate, atque ad aſſerenda, illuſtranda, declaranda fidei dogmata aliquid conferre: anne ex tempore eſt teneræ juventuti, dum prima ſcientiæ theologicæ fundamenta jacit, ac principia haurit, omnia iſta tradere, atque tantopere exſpaciari in omnes partes, & divagari: contentionibus, & digladiationibus perpetuis obrui: Omnia pacate tranſigenda

Alia quæſtionum inutilium genera ex circumſtantiis.

forent, dum primis rudimentis animi imbuuntur: nec nisi summe necessaria tradenda: diffusæ nimis disceptationes scholasticæ, si etiam aliquid scitu dignum continerent, ad ea tempora differenda forent, ubi majori otio iis incumbere liceret.

Ultima quæstionum superfluarum species.

XI. Ad postremam inutilium quæstionum farraginem delabitur oratio, quarum numero eæ censentur, quæ quidem proponi a theologo possint, sed tamen satius sit, earum explicationem, & notitiam theologiæ divinæ, & beatorum relinqui. Si hoc consilium consectarentur scholastici, quot, & quantæ quæstiones de DEO, de angelis, de visione beatifica &c. emigrare e theologia deberent, quorum hic catalogum texere longum foret. Juvat tamen ex DU-PINIO (a) exemplum de angelis afferre: *Scriptura sacra*, inquit, *de angelis nos non nisi pauca edocet, ratio multo etiam minus de illis deteget: nihiloque tamen minus scholastici innumeras hac de re formarunt quæstiones; vasta composita sunt volumina, quæ nihil præter ingentem quæstionum otiosarum molem continent, e. g. de principiis angelos specificantibus, de modo cognitionis angelorum, de duratione, de*

πȣ̃,

(a) Meth. stud. theol. c. 3.

πȣ, quod occupant, de motu eorundem, de operationibus, de modo, quo secum invicem loquantur, aut conceptus suos communicent, de donis, quæ a DEO acceperunt, de serie & statu, & quæ sunt hujus generis alia, quæ nullibi nisi in eorum tantum perturbata imaginatione fundantur, qui de rebus sibi plane incognitis formare tamen ideas usque gestiunt.

CAPUT VIII.

De nimio rationis usu, & neglectu fontium.

I. Hactenus utrumque earum rerum reos scholasticos vidimus, quæ eos de rationis, hominibus singulari DEI munere concessæ, neglectu arguere videantur: cum perspeximus, tales res ab illis tractari, quibus aut nihil rationis subsit, undique verborum soni, ac concertationes sint; aut si quid rationis habeant, totum illud inane, inutile, & vanum existat. Deinceps contueri licebit, quemadmodum nimium etiam rationi indulserit scholastice, & inde vitiosa effecta sit; cum hoc malum illud sit, quod jam inde a prima sua origine contraxit, ut multis deplorat P. Gra- Quantum rationi, & dialecticæ tribuat scholastice.

VESON (a). Accidit, ut dialecticis abducti studiis theologi plus omnino rationi humanæ, quam æquum erat, tribuerent: sic ex uno, eodemque malo dialectices usu duo jam mala, seu ut verius dicam, plurium aliorum malorum fontes descenderunt: abusi enim sunt theologi rationis directrice dialectica, & ratione ipsa, quibus dum frena undique laxarent, omnemque sacram committerent doctrinam, theologia regina scientiarum secus, ac decebat, servire dialecticæ, & humanæ rationi visa est; quo ut nihil iniquius fieri potuit, ita nihil damnosius ei unquam accidit. Juvat hic breviter præcipua quædam enumerare damna, quibus ratio, & dialectica rationis moderatrix theologiam, quas in subsidium vocaverat, sed quovis hoste perniciosiores experta est, confecerit. A ratione exordium sumamus.

II. Mel-

(a) Paulo plus, *verba ejus sunt*, studii, quam par esset, impensum est promovendo theologiæ scholasticæ imperio, dialecticæque subtilitatibus excogitandis, magis quam cæteris liberalibus artibus excolendis ita, ut gravissimi deinceps emerserint abusus. Nonnulli quippe pro doctrina ARISTOTELIS acerrime decertantes, justæ mediocritatis terminos prætergressi, vitiosam omnino, & theologiæ professoribus plane indignam invexerunt theolo-

II. *Melchior* CANUS (a) infelicitatem ſui ævi ſatis deplorare non poteſt, atque malam theologiæ ſcholaſticæ ſortem, ob nimium rationis uſum. *Hoc vero*, inquit, *ſæculo fuiſſe etiam in academiis multos, qui omnem ferme theologiæ diſputationem ſophiſticis, ineptisque rationibus transegerint, utinam ipſi non fuiſſemus experti. Egit hoc diabolus, quod ſine lacrymis non queo dicere, ut quo tempore adverſus ingruentes ex Germania hæreſes oportebat theologos optimis eſſe armis inſtructos,* eo

Quam male conſultum ſit theologiæ per probabilium rationum uſum.

giam, graves nimirum ſeriosque, & ſua majeſtate ſacros tractatus futilibus quæſtionibus, vanis inventionibus, frigidis, & jejunis argumentationibus, ridiculisque diſtinctionibus, & ſolutionibus dehoneſtantes. Alii bellatricem theologiam ſic in deliciis habebant, & cæſim ac punctim ita in arena digladiari geſtiebant, ut in ſuis argutiis, ſubtilibusque de rebus theologicis diſputationibus, ne verbum quidem de ſcriptura patribusque ultro, citroque proferrent; & quod feſtivum, ac lepidum erat, omnes quæſtiones theologicas ad frivolas exilis dialecticæ regulas exigerent, quaſi ex PORPHYRII artificio, vel ex ARISTOTELIS argumentationibus noſtra ſuſpenſa eſſet religio. Graphice ſane ſunt hæc deſcripta, accurata malorum enumeratio, quibus invecta in theologiam dialectica, & plus ultra, quam decuiſſet, provecta ſacra hæc diſciplina contaminata eſt. *Hiſt. eccl. T. IV. P. II. coll.* 5.

(a) De locis theol. L. IX. c. I.

eo nulla prorſus haberent, niſi arundines longas, arma videlicet levia puerorum. Ejusmodi nimirum in theologia arma exiſtunt, quæ ex putido & corrupto rationis noſtræ cœno repetuntur, maxime ſi probabilia tantum ſumuntur axiomata, unde neceſſe eſt, tota naturalis evadat diſceptatio: dum opus eſt ipſum rationis principium probare, & confirmare: acciditque diſputantes variis argumentis velut fluctibus modo in hanc, modo in illam partem jactari, ut neſciant tandem, quo ſe recipiant: ideo rem in dubio relinquentes, concludunt, ſi in hanc velis tranſire ſententiam, ita reſpondendum, ſi in contrariam, iſto modo. Plena ſunt hujusmodi opinionibus ſcholaſtici libri, quæ tandem ad academicam σκέψιν ducunt. Prudens enim quivis, cum cernit, theologos opinionum diverſitate in varias partes & ſectas abripi: dum in ſeipſo experitur, ſe probabilium rationum quaſi fluctibus nunc hac, nunc illac ferri, neque unquam certas & fixas poſſe figere veritatis ſedes, facile ad judicium ſuſpendendum inducitur, ne imprudens parti uni ſe addicat pervicaciter, ſine urgente ac neceſſaria cauſa; aut ne inconſtans modo huic, modo alteri opinioni ſe committat. Hinc lata aperitur ad Pyrr-

honiſ-

honiſmum via: ut jam de omnibus rebus dubitetur, quando de omnibus rebus cernuntur docti incerti, & in diverſas opiniones ſciſſi: nec ratio reperit aliquid ſatis firmum, & inconcuſſum, cui inſiſtat.

III. In morali vero theologia ad Epicureos morum canones ſic via complanatur. Sane deprehenſum eſt a viris piis, & ſagacibus, non aliam corruptæ caſuiſticæ theologiæ cauſam & originem, quam rationis humanæ in deciſionibus hujusmodi adhibitum judicium, quæ poſt primigeniam ADAMI labem, niſi divina gratia illuſtretur, quam plurimis eſt expoſita aberrationibus, & in malum prona fertur, atque facile ingenii & ſagacitatis nervos ad velificandum carni, & mundo impendit. Ratio labe originali corrupta quam prona in malum ruat, conſtat exemplo omnium philoſophorum, qui ſolo uſi rationis ductu quam ſtudioſi etiam æquitatis videri voluerint, tamen in multis rebus prava morum principia, & regulas ſunt conſectati.

Ex nimio corruptæ rationis uſu mala in theologia morali.

IV. Hæc cautos reddere debent, ne nimium rationi noſtræ fidamus, ſed potius per regulas humilitatis, ſimplicitatis, modeſtiæ, ac prudentiæ chriſtianæ huma-

Quare cavendum ne rationi fidamus.

humanæ rationis aberrationes corrigamus, eamque ab arbitrio in rebus divinis ferendo arceamus. *Namque* (prout facultas Parisiensis in quodam antiquo decreto, quod a LAUNOJO cap. 10. de varia ARISTOTELIS fortuna est relatum, cavet) *philosophicas, & naturales rationes applicare, & adaptare rebus divinis, & maxime in arduis fidei articulis, sæpe dat causam & occasionem errandi.* Hinc eadem facultas eodem loco, etiam ipsi doctori angelico in iis, quæ secundum rationem argumentatur, auctoritatem abrogat, & quidem secundum principia ipsius D. THOMÆ. *Sequitur*, sic verba habent, *quod cum auctoritas vel doctrina S. THOMÆ in multis fundetur in ratione humana, saltem in illis non oportet, quod sit ita firma &c.*

Non tamen omnis, sed nimius rationis usus damnatur.

V. Non vero omnis rationis usus damnandus in theologia est, qua & prisci sancti patres usi quam maxime sunt, sive veræ religionis cultus Ethnicis suadendus esset, sive religio christiana contra adversarios propugnanda, sive etiam christianus populus in fide esset corroborandus. At si istæc humana ratio longius a præstituto sibi termino excedit, si sibi ipsi relinquitur, ubi se in tam altæ ac cœlestis disciplinæ culmine sitam

con-

conſpicit, ſuperbiæ tumore elata, neſcio quas ſubtilitates texere incipit, quæ cum a vulgi opinione ſint paulo remotiores, pro myſteriis venditare non vereтur; tuncque ſe quam altiſſime ſapere putat, ſi ſublimia quædam commentatur, ad quæ intelligenda acri ingenii acumine ſit opus; ſicque imitari divina a communi hominum ſenſu abeuntia myſteria velle videtur, & alia comminiſci, non ea, quæ nobis nota facere divinæ ſapientiæ ſuæ arcana DEUS dignatus eſt, explanare. Hæc eſt humani ingenii petulantia, quam diſciplina theologica non ſuſtinet, ut pertractando doctrinam theologicam humani ingenii potius phantaſiæ lectoribus, & diſcipulis obtrudantur, quam divina myſteria explicentur. Ut humana ratio ſua figmenta pro myſteriis exponat, vera divina myſteria negligat. Et quid aliud illi factitant, qui ſuæ fere inixi rationi, ſcripturæ ſacræ, ſanctorum Patrum, & aliorum fontium theologicorum limpidiſſimis aquis ſpretis, auctoritate poſt habita, argutiis ſubtilitatibusque omnia infarciverunt, innumeras *ſcrutando ſcrutationes defecerunt*: in quibus nihil ſolidum, nihil majeſtati ſanctæ adeo diſciplinæ congruum deprehendere ſit.

VI.

Subtilitatum affectatio.

VI. Nihil inconvenientius, quam eam ſcholam, quæ divina myſteria, altiſſima divinæ ſapientiæ arcana, pandere nobis deberet, ea etiam adhuc involvere, humanique ingenii acutis, & longe petitis ratiunculis terminare. Primis ſtatim eccleſiæ ſæculis Artemonitæ hæretici vituperationem meruerunt, quod demonſtrationibus EUCLIDIS, ARISTOTELIS, THEOPHRASTI, GALENI argutiis ſacra involvebant, & obſcurabant: alii alias ſubtilitates infrugiferas invexerant. Non quidem eo hactenus minutiarum, ſubtilitatumque ſtudium apud ſcholaſticos pervenit, ut ad capitalem uſque errorem pertingerent, eoquod plerumque in ipſo cordice eorum diſquiſitiones perſiſtant: in acceſſoriis quibusdam ſublimia & ſubtilia excogitarunt, & ſcrutati ſunt, quæ humanum omnem captum excedunt, atque in iis, quæ aſſequi non poſſunt, definiunt arroganter plurima, non cunctantius, quam ſi manibus attrectaſſent. Eos non ferimus, qui ſuo quivis judicio & ratione ſacras paginas metiuntur, privatoque, ut vocare ſolemus, ſpiritui tantam libertatem concedunt; ſcholaſticos omnia rationi tribuere impune ſinamus? Nec quid moremur ab illis ſacros myſteriorum fontes derelinqui, omnia levibus ratiocinatio-

tionibus peragi, subtiles quasdam telas texi, vento quovis rumpendas. In hanc perversitatem acriter invehitur *Nicolaus* de CLEMANGIIS libro de studio theologico, quem edidit *Lucas* DACHERIUS *T. I. spicil. in fol. p.* 473. *&c.* (a)

VII. Legatur S. THOMAS, articulo octavo summæ suæ, quem locum in theologicis habere debeat ratio, vel maxime sobrium: ut auctoritati plurimum committatur, ratione tanquam ministra theologia utatur, cui fides limites præscribat. In hunc D. THOMÆ locum etiam sæpius laudatus *Ludovicus* CARBO egregie disserit, & commentatur, qui consulendus in Introd. theologica *L. IV.* Hujusmodi theologos etiam graviter per-

Ob nimium rationis usum fontes theologici negliguntur.

(a) Miror, *inquit*, theologos nostri temporis paginas divinorum testamentorum ita negligenter legere, & nescio quarum satis sterilium subtilitatum indagine sua ingenia conterere, utque verbis utar apostolicis, languere circa quæstiones & pugnas verborum. Quid est autem languere circa quæstiones ac pugnas verborum; & quid sibi volunt illa verba apostolica? illos procul dubio reprehendere volunt, qui omissa fertili & fructuosa arbore sacrarum scripturarum, in sylvaticis & sterilibus pabulum doctrinæ requirunt. Inter quos languere dicuntur, id est fame, & jejunio, nullo ibi reperto fructu, tabescere; & si quem forte

perſtringit *Melchior* CANUS, qui uſque adeo argumentis a ratione ductis addixerunt ſe, ut ſive diſputent, ſive ſcribant, ſcripturam ſacram, ſanctorumque Patrum libros ne legiſſe quidem videantur: ut ipſe loquitur initio libri noni de locis theologicis. Sane quotus quisque eſt ex ſcholaſticis, qui non ſæpius verſet, & ſtudioſius, obvium quodvis ſyſtema theologicum, quam ſcripturam, quam ſanctorum Patrum ſcripta, conciliorum acta, aliaque eccleſiaſtica monumenta. Et ſi etiam ſubinde quidquam de his rebus in medium affertur in tractatibus, & diſputationibus ſuis, fit tantum per tritas aliquas jam olim excerptas ſententiolas, *quas*, ut inquit *Lud.* VIVES lib. I. de cauſis corrupt. art. *paſſim jactant, & ubique inculcant, quantumcunque ſint iis, de quibus loquuntur alienæ.*

Quæ-

te illis fructum invenire contingat, ſimilis eſt pomis Sodomorum, quæ exteriore quidem ſpecie pulchra & decora videntur; ubi vero ea manu carpes, in pulverem ac fumum ſolvuntur. *Et paulo poſt:* Nunc autem, *ait*, plerosque videmus ſcholaſticos ſacrarum inconcuſſa teſtimonia literarum tam tenuis æſtimare momenti, ut ratiocinationem ab auctoritate ductam velut inertem, ac minime auctam, ſibilo ac ſubſannatione irrideant, quaſi ſint majoris ponderis, quæ phantaſia humanæ imaginationis invenit, quam quæ divinitas cœlitus aperuit.

Quædam etiam a principibus suæ sectæ citata traduntur per manus, cum eo intellectu, & interpretamento, ad quod torsit illa, qui ad placiti stabilimentum inducebat. Ita nunc, ut idem paulo post ait, *HIERONYMUS, AUGUSTINUS, CHRYSOSTOMUS, & prisci illi non ex suis ipsorum monimentis cognoscuntur, sed ex collectaneis sententiarum* Petri *LOMBARDI, ex catena aurea D. THOMÆ, &c.*

CAPUT IX.

De nimio dialectices, ac philosophiæ usu.

I. Hæc quidem de ratione humana, quantum sibi in theologia arrogarit, quove licentiæ sit prolapsa: jam quædam etiam dicenda de rationis directrice dialectica, quam late dominari in hac sacra disciplina eam, multi indulserint. Insanus sit, qui usum dialectices in theologia neget; tantum hic de nimio usu sermo est, qui tunc committitur, quando non amplius ut famula servit, sed dominatur: quando nimirum ex topicis suis regulis contra assertiones theologicas argumenta format, at-

De nimio dialectices usu.

atque conclusiones arcessuntur: dum positionibus constitutis, ad ea probanda axiomata logica & *maximæ* topicæ, aut iis etiam aliquid minus pro fundamento aut medio termino sumitur, neglectis fontibus theologicis. Atqui hoc nomine theologiam scholasticam vituperari, ac dudum sese probro exposuisse, jam senatus academicus Parisiensis an. MDXXX. professus est, uti in ejus historia ad eum annum refertur, *academiam Parisiensem summo ludibrio hactenus exteris nationibus fuisse non aliam ob causam, quam quod omissis evangeliis, & sanctis ecclesiæ doctoribus CYPRIANO &c. sophisticem nescio quam, ac dialecticem in qua non placuit DEO salvare suum populum, nostrates tamen theologi profiterentur.*

De altercandi pruritu.

II. Deinde quantis omnia clamoribus, & contentionibus perverso dialecticæ usu scholastici implere siverint, ut dicamus ordo exposcit. *Disciplina disputationis* teste S. AUGUSTINO (a), *ad omnia genera quæstionum, quæ in sacris litteris sunt, penetranda, & dissolvenda plurimum valet, tantum cavenda est ibi libido rixandi.* Sed id ipsum est, a quo minime in hac disputandi disciplina sibi cavent, qui ad disputandum accedunt, non tam ut veri-

(a) L. I. de doct. christ.

veritatem propugnent, quam suam opinionem. Quotidie disputatur in scholis, nec quidquam efficitur: solus enim contradicendi conatus plerosque ad disputandum provocat, non veritatem aut discendi, aut docendi studium: nec pro veritate pugnatur, sed pro victoria: & plerumque is victor evadit, qui inani garrulitate cæteros prævertit, ut graves ante me notarunt auctores. Nemo alteri facile ultimum dicendi locum concedit, ne si non ultimus locutus sit, victus videatur. Etiam qui humi prostratus est, clamat, & tandem clamore vincit: & cum semel quisquam aliquid se valere in ista rixarum schola conspicit, nihil jam disputandi licentiæ anteponit, omnem in contradicendo voluptatem, omnem in altercando gloriam reponit. Nemo est, quem talis non provocet: nihil tam certum, & exploratum, quod in dubium vocare non audeat. Non tali satis est, eos, quorum opiniones suæ contrariæ sunt, lacessere: sed etiam contra illos, quibuscum consentit, in arenam descendit. Quid tam leve, cujus gratia ipse non superos, acherontaque movendos putet? fac, ut talis adversarium non nanciscatur, ipse sibi facit: quidquid ab alio profertur, habet, quod ei opponat, quod oblatret.

Quid mirum, si his a teneris, quod ajunt, unguiculis assueti homines, hoc lacte in in scholis enutriti, eam altercandi, contradicendique consuetudinem contrahant, quam deinceps per omnem vitam non deponant. Graviter conqueritur de hac re *Ludovicus* VIVES (a) his verbis. *Puer in scholam deductus primo confestim die jubetur disputare, & docetur jam rixari, qui fari nondum potest.* Adiri sane meretur auctor iste, & legi loco a nobis laudato: ubi insignibus eloquentiæ coloribus depingit hunc malesanum altercandi pruritum, tum in aliis scientiis, tum etiam in theologia vigentem; nullo alio studiorum fructu, quam præsenti animo non cedere adversario, intrepide eum vel aggredi, vel sustinere, & callere, quo robore, qua arte, qua supplantatione sit subruendus. (b) Qui sane litigiosus disceptandi modus, nulla pietate conditus, omnibus viribus &

(a) De caus. cor. art. L. I.

(b) Miretur aliquis, *inquit loc. cit.* quei possint in rebus apertissimis, simplicissimis, primis? nihil est tam liquidum, tam clarum, quod quæstiuncula aliqua velut vento excitato non perturbent. Inertissimæ datur torpedini, nihil invenire, etiam fulgore solis, quod obscures in rebus explicatissimis, quod involvas

& artibus e theologia eſt propellendus, unde tot tumultus & tragœdiæ excitantur magno animorum æſtu, de rebus quandoque flocci & inutilibus, quandoque ejusmodi, quas non tam perſcrutari, quam adorare, ac ſumma modeſtia ſuſpicere præſtaret, tempus interim piis & utilibus collocando diſquiſitionibus.

III. Nemo ignorat, quantam is ſibi in ſcholis mereatur laudem, qui in utramque partem diſputare ex tempore queat, Græcorum more, nimirum gentis loquaciſſimæ. Sed diſcamus vel etiam Ethnici CICERONIS exemplo & teſtimonio, iſtud vanæ gloriolæ aucupium deridere, & repudiare: qui cum in libro ſuo de amicitia hunc Græcorum morem eruditorum hominum eſſe affirmare videatur, ita de eo in perſona LÆLII diſ-

Diſceptandi facultas ac quæſtiones in utramque partem.

 ſerens:

vas in duriſſimis, ac inflexibilibus, quod plices & replices. *In eosdem etiam calamum ſtringit* CANUS *L. VIII. de loc. theol. c.* I. *theologos*, quaſi ad diſcordiam natos, qui tum optime diſſeruiſſe ſe putant, cum contra doctores dixerint, ut non tam verum inveniſſe velle videantur, quam adverſarios convincere, concertationibusque & rixis totas chartas implere: qui ſane cum omnia ad pugnam referant, nihil cogitant, quam vera ſint, quæ aſſeverant, ſed quam poſſint ea ipſi tueri, quæcunque ſemel defendenda ſuſcepiſſent.

ferens: (a) *Doctorum est ista consuetudo, eaque Graecorum, ut iis id ponatur, de quo disputent, quamvis subito:* in quaestionibus suis Tusculanis sic Atticum loquentem facit, atque hoc oblatum munus detrectantem: *Quid mihi nunc vos tanquam alicui Graeculo otioso, & loquaci, & fortasse docto atque erudito, quaestiunculam, de qua meo arbitratu loquar, ponitis?* Deinde in iis concertationibus, ubi non quod sentiendum quis putet, illud asserendum sumit, sed in quo ab altero dissentiat: ut si adversarius ajat, ille neget; si iste neget, ille affirmet, quis non videt de veritatis indagatione nihil agi? Posse haec exercendi ingenii causa alibi usum habere concedendum; sed a theologia, ubi aeterna veritas discutienda est, melius omnis, quae ob veritatis amorem non fit, relinquitur disceptatio. Et tamen fere scholastica ejusmodi problematicis quaestionibus absolvitur: ubi studiose ex universa theologia ejusmodi res selectae videntur, ut eo melius & securius possent disceptationibus inservire. Quo enim ex tempore in academiis tam scrupulose facultates theologicae sunt discerptae, ut scripturista, polemicus, canonista prosequeretur sua, scholastico nihil relictum est

(a) Cic. de amicit. & 1. Tuscul.

est circa ipsas principales christianæ doctrinæ causas. Hinc pleraque tractant, quæ sine periculo in utramque disceptari possunt partem. Orta hinc sunt sectarum nomina *Nominalium*, *Scotistarum*, *Thomistarum*, *Recentiorum*, & alia; unde fieri nequit, ut non studia partium, rixæ, contentiones, odia oriantur inter tot opinionum diversitates.

IV. Quod ea spectat, quæ salva fide in utramque partem disputari valent; sicut nemo cohibeat, ut quis, quam velit, sententiam complectatur; ita haud scio, an cui prudenti probetur, ut quam quis semel propugnare cœperit sententiam (quod est alterum extremum, in quo multi turpiter hærent) eam jam veluti indubitatam, & inconcussam jactet. Quem morem a VAVASSORE pulchre adumbratum, damnatumque videmus: *Estne*, inquit (a) *quidam, qui de omnibus facile pronunciet (quam multi autem generis hujus sunt?) qui nulla de re dubitet, qui audacter affirmet, qui nihil retractet, qui verbum illud consideratissimum usitatæ consuetudinis, arbitror, aut, fortasse, aut, videtur, quo nos etiam tunc magis utimur, cum magis ætate provecti, magisque de humana errandi facilitate edocti experiendo sumus,*

Pervicacia in defendenda sententia semel suscepta.

F 5 ex

(a) Orat. 8. ed. Amstelodam.

ex tota oratione sua tollat: & quæ loquitur, omnia certe se scire dicat? Hic vero est inveteratus scholasticorum mos, quæ semel visa sunt, indubitata concludere, invictaque pertinacia tenere: summa contentione propugnare, ad ravim usque inculcare, ac omnia potius moliri, quam a sententia deflecti. Idem fons & origo hujus est corruptelæ, qui superioris. Quam parum vero in his partium studiis ipsa ratio, ipsaque veritas in consilium vocetur, vel inde patet, ut jam habitum aliquem induere idem sit, ac sententiam, ac sectæ opinionem suscipere. Tantum opus est, ut vestem Dominicanorum suscipias, jam Thomista es; Franciscanorum sacris imbuaris, Scotista efficiaris; Jesuita fias, & recentior audias; & pro hujus, aut illius opinionibus, tanquam pro aris & focis pugnes, potiusque vitam exuas, quam ut in levi aliqua re a ducis tui sententia decedas. Est equidem hoc opportunum contra Pyrrhonismum remedium, in quem incidere ob varias scholasticorum partes & sectas pronum est, sed alias perversitates & mala post se trahit.

Philosophandi studium nimium

V. Causa & sentina malorum, quorum quosdam e schola theologos reos egimus, nimium est philosophandi studium, quod diu-

diuturno tempore theologiam detinuit, totque Sophiſtas progeneravit, atque ejusmodi theologos, qui in problematicam quandam artem theologiam procuderunt. In myſteriis & capitibus religionis ludere ſic non licuit; ſeparatis igitur, ut paulo ante memini, dogmatibus ipſis maxime controverſis cum hæreticis, atque polemicæ relictis: reliquis ſcripturiſtæ, canoniſtæ &c. appropiatis, ſcholaſtice libere ſuis commentis, & diſceptationibus indulgere potuit: dum nihil reſidui permanebat præter πάρεργα quædam & ramenta: hæc philoſophicis conceptibus ſunt incruſtata, atque de ejusmodi lana caprina perpetuis contentionibus, diſſenſſionibusque fuit actum. Unum commodum hinc enatum illud eſt, quod idipſum in cauſa eſſet, ne ullis capitibus religionis inter ſe diſſiderent, cum de nullis capitalibus rebus contenderent. Aliter antiquis contigit, quando homines maleſani philoſophiam chriſtianæ doctrinæ miſcuerunt, plerumque enim in adiaphoris opinationibus non permanſit res, ſed ad hæreticas uſque ſententias perventum. Noti ſunt, qui ex PYTHAGORÆ, PLATONISque ſchola emanationes divinas, eorumque Syzigias, & Pleromata in chriſtianam religionem importarunt.

in ſcholaſticis, at non tam periculoſum ut olim.

tarunt. Noti qui ARISTOTELIS olim inventis, ac præsertim dialectica ad exitium, & pestem abutentes in absurdos sermones delapsi sunt, errores suos acriter subtiliterque contra veritatem defendentes.

Non tamen sine excessu.

VI. Non eousque dæmonis conatus invaluerunt, quando posterioribus temporibus philosophia theologiam occupare cœpit. BOETIUS in occidente, & DAMASCENUS in oriente philosophiam theologiæ junxerunt, sed innocuo studio; intra suos enim limites res constitit. At postea eousque res venit, ut non sint veriti, ARISTOTELEM cum PAULO contendere, & theologiam philosophicis subtilitatibus implicare, ut in theologia philosophia regnaret, & vix jam umbra genuinæ theologiæ in scholis superesset, atque una prope ex philosophia & theologia scientia redderetur. Nimirum est hæc humani ingenii indoles & curiositas, ut sua commenta, & figmenta extollere nitatur ad divinas usque res & mysteria; cum cœlestis doctrina potius in eum finem data sit, ut humanas emendet aberrationes. Hinc christiana fides ab ejusmodi hominibus prædicata est, qui sapientiam hujus sæculi, Græcorumque philosophiam contem-

temnebant, huncque contemtum in magna etiam laude ponebant. A primo mundi exordio patriarchæ, & pii homines pietatem potius & fidem coluerunt, quam humanas scientias ac philosophiam. *Ut autem*, sunt verba illustrissimi HUETII (a), *fidem aspernari cœpit ratio, tum extitit philosophia, nihil non sibi pervium, nihil non sibi licitum rata.* In ipsum etiam christianismum, ut comperimus, experimurque, sese ingessit, atque ad hæc usque tempora grassatur maxime in scholastica, quamvis quodammodo innocua, & sine palmaribus erroribus.

VII. In hoc autem maxime abusus iste versatur, ut principia rationis & philosophiæ adhibeantur tanquam fundamentum ad probandas propositas theses, & conclusiones; sicque mixtum quid ex theologia & philosophia efficitur, confusio disciplinarum, transcensusque a genere in genus: dum non ex principiis artis, id est, doctrina christiana, verboque revelato, sed ab extraneis materiæ ipsæ ac quæstiones, aut firmamenta causæ petuntur. Non scriptura sacra, sed philosophia profana in subsidium vocatur, & auctoramentum præ-

In quo potissimum abusus philosophiæ in theologia consistat.

(a) Alnet. quæst. L. I. c. 5. n. 2.

a præstat. *Hujusmodi*, inquit CANUS (a) *nos ipsi, præsertim in Italia, vidimus multos, qui scriptura sacra neglecta, ad horum philosophorum doctrinas tanquam ad Syrenum scopulos adhærebant.* Alia ex
b *Melchior.* CANO affert (b) *Lud. El.* DUPINIUS, nec dubitat, pessimorum fructuum in scholastica culpam in philosophiam & dialecticam esse conferendam. Recenset etiam abusus, qui contingant dialectices præprimis.

CAPUT X.

De neglectu artium, & subsidiorum, quæ perfectum theologum efficiunt.

De neglectu aliarum artium theologum juvantium.

I. Postremo jam fere loco illud multorum ex scholasticis vitium pono, quod sua malignitate non modo postremum est, sed e præcipuis unum & capitale: quod omnibus illis disciplinis ad theologiam instructi non accedant, quæ rem theologicam juvent, perficiantque. Quotus enim quisque est, qui ad theologiam præter Latinæ linguæ, & philosophiæ alia adjumenta afferat, aut etiam afferenda censeat? Quin etiam

(a) Lib. IX. c. 9. de loc. theol.
(b) Meth. stud. theol. c. 3.

etiam ſunt, qui contemnant, & quidquid ſuas ſubtilitates, & aranearum telas non ſapit, ut profana, ut ſacrilega traducant; theologo chriſtiano indigna, aut nihil neceſſaria, ac inutilia judicent. (a) a

II. Inſcitam hanc quorumdam opinionem, qui artium ſaltem profanarum ſtudium ad ſacram theologiam non adjungendum rentur, refellam non meis, ſed D. HIERONYMI (b) verbis ex quadam illius epiſtola, qua nimium ſcientiarum ſæcularium apud chriſtianos ſcriptores uſum exprobranti, ita reſpondet: *Quod autem* b

Contra veterum monita, & exempla.

(a) Scribit noſtrorum hominum quispiam, *loquitur in hanc perverſitatem*, *alias etiam artes contaminantem*, VIVES *L. I. de cauſ. corrupt. art.* de philoſophia, de jure, de theologia, de re medica, admiſcet hiſtoriam ineptiſſime narratam, & falſo negat, hoc ſuum eſſe inſtitutum: attingit aliquid de coſmographia inſcite, negat eſſe ſuum inſtitutum: loquitur de vi verbi imperite, negat eſſe ſuum inſtitutum: de arbore, de animante indocte, negat eſſe ſuum inſtitutum. Quid eſt ergo tandem tuum inſtitutum? Nihil ſtatuiſſe, recte dicere. Quam eſſe putamus ejusce rei cauſam, niſi quod veteres & evolvebant omne librorum genus, & intelligebant: iſti nec inſpiciunt, & fruſtra inſpicerent egeni lucis illius, quæ nos ad intelligentiam artium, quæ in iſtis nulla eſt prorſum, adducat.

(b) Ep. ad magnum orat. Rom.

autem quæris, inquit, *in calce epistolæ tuæ, cur in opusculis nostris secularium litterarum interdum ponamus exempla, & candorem ecclesiæ Ethnicorum sordibus polluamus; breviter responsum habeto. Nunquam hoc quæreres, si scripturas S. legeres; si interpretes earum omisso supercilio evolveres. Quis enim nesciat, & in MOSE, & in prophetarum voluminibus quædam assumta de gentilium libris &c.* Nimis longum foret, omnia afferre, quæ ibi in hanc rem quam maxime apposite porro differit. Qui plura desiderat, adeat S. AUGUSTINUM, & quæ hic sanctissimus doctor in suis libris, quos de doctrina christiana inscripsit, de sæcularium scientiarum utilitate, quam ad rerum divinarum intelligentiam conferunt, pluribus prosequitur, legat. Nolo in hac re longior, molestiorque esse, aut nimis multa ex peregrinis artibus flagitare, cum hactenus adduci plerique nequiverint, ut domesticis etiam quam maxime, ac propriis suis principiis, quibus theologia niti debet, si firmiter standum illi est, scripturæ sacræ, conciliis, patribus, & reliquis theologicis fontibus operam navarent.

Ac rei exigentiam.

III. Ex scientiis theologiæ studium juvantibus, facile, meo quidem judicio,

in theologo desiderari queant nonnullæ, quæ non nisi parcius aliquid ad rem theologicam conferunt, si modo linguarum politiorum, humaniorumque litterarum, historiarum, & quæ ad eas necessaria sunt auxilia, omnisque antiquitatis aliqua non superficiaria notitia & facultate, quibus molestius caret theologia, imbuti accederent. Hunc neglectum facunde P. VAVASSOR (a) in scholasticis carpit, cujus verba non possum non hic afferre, ut ut prolixa sint.

CAP. XI.

(a) Age, *inquit orat. 9. de vit. curios.* quisquis ea re plurimum te scire putas, quia unum agis, ac sollicitas, in eodemque hæres, & commoraris ætatem, nescis, mihi crede, quanta nescis; quot tibi ad res aditum isto tuo inconsulto consilio præcluseris, quam varias, quam eximias, quam salutares ac necessarias; ut tuum illud nescio quid unum, quod altius impressum, obrutumque reris, effoderes. Quodne dubitetis ipsi, proponite, auditores, ob oculos vobis theologum aliquem unum isto de genere, ut prædicari de se, ac nominari volunt, profundorum, quem schola, seu junior theologia, in gremio, sinuque suo eduxit longum otium contemplando exercuit, altercatio pertendendo corroboravit. Is totum se in hanc facultatem, sine ulla exceptione operæ, ac laboris immerserit: huic pueritiam, huic juventutem, huic ætatem firmam consecratam esse, additamque voluerit, discendo, docendo, scribendo: idem præterea non aliud in vita

CAPUT XI.

Impediunt ſcholaſtici augmenta ſcientiæ theologicæ, quia in magiſtrorum dictatis acquieſcunt.

Scholaſticorum deſidia propria induſtria augendi theologicam ſuppellectilem.

I. Supereſt & alius quidam varietatis multiplicitatisque defectus; quem dudum in ſcholaſticis redarguit *Baco* VERULAMIUS augmentorum ſcientiarum ſitientiſſimus, vitiorum obſervator callidiſſimus; quo non modo neglectarum aliarum artium incuſantur, ſed etiam intermiſſi ſtudii contemplandi, ac varias lucubrationes aliorum ruminandi rei aguntur. Unde quidem ſi BACONEM (a) audimus, ſcholaſtices omnis depravatio ſuum ortum maxime trahit. Ipſius verba audiamus: *Certiſſimum eſt*, in-

egerit: nihil Græce ſcire, parum Latine curare: rerum geſtarum hiſtoriam, velut hominum fide, ac teſtimonio nixam repudiarit: ordinem temporum, ceu fluxa quædam; ſitus locorum, ceu bruta, & rudia: gentium leges ac morem ceu mortalia, & caduca aſpernatus ſit: cæteras artes, & doctrinas liberales præ ſua ſicut ULYSSES Ithaca, aut ſicut PARIS HELENA, viles duxerit; ſic ut neque aditu, neque conſpectu dignas judicaverit; non earum cauſa manum verterit. Amabo ejuſmodi viro qualem de-

(a) De aug. ſcient. L. I.

inquit, *si modo ſcholaſtici ad inexplebilem ſitim veritatis, & continuam agitationem ingenii, varietatem lectionis, & contemplationum adjunxiſſent, inſignia profecto illi extitiſſent lumina.* Fortaſſe miretur aliquis, quod contemplationum varietatem in ſcholaſticis deſideret, qui a continuis ſuis ſpeculationibus etiam nomen ſunt ſortiti. Et ſuperius ſatis eſt oſtenſum, quam multum & nimis etiam, quam par ſit, in excogitandis ſubtilitatibus ſibi indulſerint, omniaque ſua anxie quæſita, ſcrupuloſe excogitata, perplexitatibus involverint. Sed hæc ipſa in cauſa ſunt, quare contemplatio jam in ſcholaſticis requiratur. Hæc contemplandi copia, contemplationum inopiam in theologiam intulit. Coguntur enim modo ſcholaſtici ſuum tempus conſumere, ut probe eas ſubtilitates intelligant, quas jam in aliis repererunt, ipſis interim, ut etiam ſua, in lege Domini

deſcripſi, cum ſua hac, quam afflictim deperit, anicula, quid infantius? Quid ſpoliatius? Quid incultius, atque horridius? prætereo, quam ſit puer, qui, quid antea, quam natus ſit, acciderit, neſciat. Sileo quam mutus, idemque ſurdus, qui vix aliena lingua loquatur, vix loquentem exaudiat. Meminiſſe quidem volo, quam barbariem pronunciatione, ac vocis ſono, quam imperitiam rerum quotidianarum, & in medio ſitarum præſeferat &c. &c.

contemplandi, facultate utantur, aufertur tempus: ut hinc omnis augendæ rei theologicæ spes præcisa sit, & evanescat.

Reducta scrupulose theologia in formam artis ejus augmenta impedit.

II. Huc accedit, quod alibi luget BACO (a), reductio hujus amplissimæ doctrinæ in certam methodum & artis formam, a qua deflectere nefas putetur. *Quod cum fit*, inquit, *plerumque scientia, aut parum aut nihil proficit. Nimirum*, pergit, *ut Ephebi, postquam membra, & lineamenta corporis ipsorum perfecte efformata sunt, vix amplius crescunt; sic scientia, quamdiu in aphorismos, & observationes spargitur, crescere potest, & exurgere, sed methodis semel circumscripta, & conclusa, expoliri forsan, & illustrari, aut ad usus humanos edolari potest, non autem porro mole augeri.*

Item servitus, qua magistris addicuntur in quorum verba juratur.

III. Quam in rem ab iis puto potissimum peccari, qui sibi semel dictatorem aliquem selegerunt, in cujus verba, si non omnino juraverint, quod tamen fieri passim videmus, toti tamen concedant, & conquiescant. (b) Mirum videa-

(a) Loc. cit.

(b) Ah! *exclamat* VIVES *lib. I. de causis corrupt. art.* quanto se fructu disciplinarum fraudant, quod semper aliis credunt, nunquam ad

deatur, quare in mechanicis primos inventores pauca excogitasse cernamus, quæ tempus deinde suppleverit, & perfecerit: in scientiis vero primos auctores longissime penetrasse, tempus vero plurima detrivisse & corrupisse experiamur. Nec aliam hujus rei rationem esse putat VERULAMIUS, quam quod in artibus & scientiis liberalibus ingenia multorum sub uno succubuerint, quem tamen ipsum sæpe numero sequaces potius depravaverint, quam illustraverint: quod in theologia factum esse, puto a nemine nesciri. Idem quamquam eam sibi regulam non displicere ajat: *Oportet discen-*

ad se ipsi revertuntur, nec se vocant in consilium, ut examinent, cujusmodi sint, quæ tanta cura addiscunt. *Joan.* GERSON suo jam tempore notavit maxima mala, quæ in theologiam irrepserunt, quod doctores in certas factiones abeant, & partes consectentur: Quod, *ait epistola ad studentes collegii Navarræ,* contentiosæ opinionum atque sententiarum partialitates quædam illic nimis pertinaces perstrepunt, quæ & studium veritatis interrumpunt plurimum, & totum corpus universitatis actuosum, inquietum, & parum modestum, & tumultuosum magis, quam requireret professio, constituunt.... Obsunt præterea partialitates quædam affectatæ, & vincendi pertinax animositas; personarum insuper, nationum, vel acceptio vel contemtus. Non enim ambulare sinunt in domo DEI cum consensu per veritatis atque charitatis iter &c.

tem credere; ei tamen hanc jugendam esse auctor est: *oportet jam edoctum judicio suo uti.* Ita ut discipuli magistris temporariam quidem fidem, judiciique suspensionem, donec penitus combiberint artes, concedant; plenam autem libertatis ejurationem, perpetuamque ingenii servitutem non statuant, discipulos se præbeant, mancipia non vendant. An vero illi, qui in verba magistri jurant, aut etiam servitutem non juratam quidem, religiosissime tamen, observant, discipuli sunt, vel mancipia?

Et piaculum ducunt aliquid præter ipsorum dictata docere.

IV. Quid illi? qui nihil in theologia afferendum, docendumque putant, quod non aliunde, ab aliis jam dijudicatum, depromserunt. Qui studiosissime cavent, ne quam periodum, ne dicam sententiam in medium producant, quam ab alio non mutuaverint: ne quid doceant, aut teneant, quod ab aliis non hauserint, paucis illis quidem, & sibi etiam invicem succinentibus scholasticis commentariis. Atris coloribus pro suo more hanc pravam consuetudinem scholasticorum depingit ERASMUS *Roterod.* (a) quo scholastice nullum unquam

(a) *Quam æquum illius sit judicium, penes alios sit decidere:* Omnes fere, *inquit L. I. antib.* ean-

quam infenſiorem hoſtem eſt experta, nec eloquentiorem. Certe carpendus jure merito eſt, ille ſcholaſticorum neglectus varietatis, & lectionis maxime propriæ contemplationis, qui intra paucorum auctorum congeſtorumque ſpacia concluſi, his totam ſuam judicandi, contemplandique facultatem conſecrant, mancipantque, eorum ſolum verba & ſententias colligentes, veritatem ipſam non ſatis ipſi ruminantes.

eandem cantilenam canunt, & coccyx coccyci ſuccinit. Eſt enim huic ſcriptorum generi moris, nihil ſuum ponere, ſed diverſorum dicta, atque hinc decerpta congerere, non modo diverſa, verum etiam aliquoties inter ſe pugnantia: ſat habent coadcervaſſe, ceterum judicii onus lectori relinquentes. Cui ubi jam longa lectione cerebrum vertigine rotari, & caligare acies cœperit, non multo certior ſurgit, quam DEMOPHILO ille TERENTIANUS.

CAPUT XII.

De morum corruptelis ex scholasticis vitiis oriri pronis.

Corrupta morum doctrina.

I. Hucusque eæ depravationes sunt positæ, quæ ipsam hanc sacratissimam disciplinam infestarunt, ejus ornatum dehonestarunt. Quid dicam de corrupta morum doctrina, quæ regnante potissimum scholastica invaluit, quando non amplius spiritus christianismi in regulis morum attendi cœpit, sed ex dictamine perversæ rationis *solipsissimus* quidam introductus est; atque pro norma actionum humanarum habita est utilitas propria, suo cujusque judicio æstimanda. Non gratiæ, sed nostræ miseræ naturæ virium ratio inita est: neque in Ethica christiana ipsa virtutis præcepta data, aut via ac ratio patefacta, sed de objecto, subjecto, causis, definitione, divisione multa in utramque partem agitata sunt, quæ nihil ad profectum christianum faciunt. Doctissimus MABILLONIUS fontem hujus rei, atque discrimen veteris & novæ moralis clare indicat, dum scribit *P. II. c.* 7. de stud monast. *Moralis doctrina purius ac sincerius expendebatur, nec tot* tan-

tantisque dubiis metaphysicis, ut nunc, erat obnoxia. Verum ex eo tempore ad tot speculationes deventum est, ut ex nimio, ac immoderato ratiocinandi acumine nonnunquam vel ipsa ratio desierit.

II. Sunt aliæ præterea corruptelæ, quibus eorum animi, & mores inficiuntur, qui ætatem, ingeniumque terunt in scientia tot vitiis scatente. Philosophi illi veteres quanto in honore fuerint ob honestatem vitæ antiquis temporibus omnes norunt; sed postmodum, corruptis moribus, pessime audierunt, ut etiam civitatibus pellerentur: illi nimirum, quos EPICTETUS insectari, teste ARIANO (a), & GELLIO, (b) solebat: *ἄνευ τοῦ πράττειν μεχρὶ τοῦ λέγειν, τοῦτο τὸ ζῶον οὗ πάντες καταγελῶσιν. Sine opere solis verbis perstrepentes esse ejusmodi animal, quod ab omnibus derideatur.* Theologia quo studiosius est suscipienda, si bona sit, ac sui similis, divina nempe; tanto diligentius a vitiis est custodienda ac repurganda. Maxime si ad eum non conducat scopum, quo unice collimare debet, ut vitam religiosam, & christianam instruat, mores formet, mentem salutari doctrina imbuat,

Scientia præsertim theologica deberet bonos nos reddere.

a b

G 5 pieta-

(a) L. III. c. 21.
(b) L. XVII. c. 21.

pietatis ſeminibus reſpergat. Namque ſic EPICTETUS eos philoſophos deridendos putavit, in quibus ſola verba, operis vero nulla induſtria: theologi, qui idem agunt apud chriſtianos etiam ſunt deplorandi, quod a ſua meta fœde aberrent, & in negotio, quod æternæ ſalutis pondus operari natum eſt, nec verbis utique, ſed operibus pendi debet, rectum non attendant momentum.

Sed pleraque vana, & futilia ſcholaſticæ hoc non præſtant.

III. Ad quid vero inanes rixæ, contentiones, & lites ſæpe de ſolis verbis, frequenter de anilibus, ut ita dicam, fabulis, vanis, frivolis, & futilibus quæſtionibus, in quibus omnia vanitas, nulla utilitas? Cui bono eæ ſpeculationes, & ſubtilitates, quibus ſua involvunt, neglectis interea ſacræ ſcripturæ, & ſanctorum Patrum ſcriptis, quæ pietatem inſtillare, devotionem excitare, & fovere accommodatiſſima ſunt? *Nicolaus* de CLEMANGIIS libro de ſtudio theologico in hoc vitio ſcholaſticorum carpendo totus fere eſt. Semel poſtquam illum Paulinum locum I. Tim. III. 16. attuliſſet: *Omnis ſcriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum & erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo, ad* om-

omne bonum instructus: Ad quæ, (a) inquit, *illa sunt parum utilia, in quibus hodie plurimi exercentur, quæ licet intellectum utcumque acuant, nullo tamen igne succendunt affectum, nullo motu excitant, nullo alimento pascunt, sed frigidum, torpentem, aridum relinquunt.* a

IV. Cui ex integris perlectis scholasticorum non bonæ notæ voluminibus, unica devotionis scintilla enata est? Quis melior ab eorum scriptis recessit, vel recedere potuit, ubi omnia elata, præpedita: quæ omnes quidem intellectus vires exhauriunt, animum nihil prorsus movent? Cum econtra, si quis unicam paginam ex quovis obvio sancto patre pervolvat, unctione S. Spiritus, haud obscure sit experturus, animum ad pietatis exercitia excitari, ad devotionem inflammari, ad virtutis exstimulari prosecutionem. Quod vero horum omnium aliquis unquam ex scholasticorum illis scriptis persensit, quæ cum totum hominem ad sublimes cogitatus, & speculationes intentum flagitent, nullum otium relinquunt piis motibus, & affectibus, quos ex divinorum mysteriorum contemplatione, considera-

Inepta scholastica ad fovendam pietatem, & inflamandam devotionem.

(a) Apud *Lucam* DACHERIUM T. I. spicil. in fol. p. 476. b.

ſideratione divinæ erga nos benevolentiæ, & miſericordiæ in diſpenſandis gratiarum ſuarum & innumerabilium beneficiorum largiſſimis muneribus, & theſauris exurgere neceſſum eſſet.

Imo vitiis quibusdam nutriendis apta videtur.

V. Porro ſi *littera* eſt, *quæ occidit*, ſecundum PAULUM: quid ſunt pugnæ illæ verboſiſſimæ, concertationes pugnaciſſimæ, quid illæ de verbis lites, niſi Paulinæ litteræ? Si *ſcientia inflat*, quæ magis apta eſt progignere inflantes ſpiritus, quam ea, in quibus ſibi homines excogitatis ſubtiliter humani ingenii telis placent quam maxime? Dum ſe tam excelſa, a communi hominum ſenſu remota intellectu aſſecutos eſſe, perſpicacia penetraſſe, inſpiciunt. Dum integras horas, & dies glorioſiſſime cum adverſario diſceptaſſe ſe ipſos mirantur, in quibus nunquam defuerit, quod objicienti reponerent, verborum funderent concatenatas ſeries, fortiter ſtarent. Id quod non ſolum pronitatem, & fomitem ad ſuperbiæ, & elationis vitium, ex vana ſcientiæ opinione naſci proclivem præbet, quin & jam præſentis, & radices agentis temeritatis, & arrogantiæ indicium præbet. Audiant *Nicolaum de* CLAMENGIIS, hominem pium, ac judicem juſtum loco mox a nobis laudato.

10. *Quid aliud eſt ſcientia, quæ omni pio affectu exuta ſolam intelligentiam inſtruit, niſi fomentum vanæ gloriæ, & lampas ſine oleo, qua a regni cælorum ingreſſu fatuæ virgines laudibus hominum delectatæ excluduntur? Illa luciferum luce cognitionis adeo ſublimiter inſignitum in illam inſaniſſimam extulit ſuperbiam, qua a ſummis cælorum ad ima inferorum præcipitatus eſt.* Quo alio ſpiritu ducti quidam tantis clamoribus omnia complent, tam variis ſubtilitatum nexibus, & involucris omnia diſtendunt, ut hinc gloriæ aliquam auram capere poſſint? Qui in ea perſuaſione verſantur, theologi præſtantiam, *cognitionem illam veritatis ſecundum pietatem* in altercando conſtitutam, & pugnaciſſimum quemque optimum eſſe rentur. Sapiente SENECÆ (a) monito & conſilio huc apprime congruente rem hanc concludam: ita vero loquitur ille: *Quid mihi profuturum eſt ſcire, an aliud ſit ſapientia, aliud ſapere? Quid mihi profuturum eſt ſcire illud bonum eſſe, hoc non eſſe? Temere me geram; ſubito hujus voti aleam tibi ſapientia, mihi ſapere contingat: pares erimus. Potius id age, ut mihi viam commonſtres, qua ad illud perveniam. Dic mihi, quid vitare debeam, quid appetere. Hæc eſt ſapientia, hoc eſt ſapere, non diſputa-*

(a) Epiſt. 117.

sputatiunculis inanibus subtilitatem inanissimam agitare. Tot quaestiones tibi fortuna posuit, nondum illas solvisti, jam cavillaris. Quam stultum est, cum signum pugnae acceperis, ventilare? Remove ista lusoria arma: decretoriis opus est. O auream Ethnici hominis (cum non liceat PAULI discipulum agnoscere) sententiam. Utinam ruborem multis christianis iis etiam, qui se divina tractare jactant, non incuteret.

CAPUT XIII.

Mala ex depravationibus scholasticis in coetum christianum redundantia.

Obscuritas terminorum facit ut fidelibus pleraque mysteria explicari nequeant.

I. Ex pluribus malis, quae ex ista theologiae scholasticae depravatione in universum christianorum coetum dimanarunt, aliqua solum levi brachio perstringere liceat. Imprimis hinc accidit, ut caeterae quaevis optimae artes, & disciplinae in contemtum abirent, & negligerentur: cum ii, qui scholasticorum semel subtilitatibus & tricis essent immersi, optimamque aetatem consumsissent, aliarum scientiarum gustum nullum haberent, & quae ignorarent, facile despicerent. Sed de hac re

jam

jam quædam prælibata, & paulo poſt plura dicenda ſunt. Etiam inde provenit, ut omnis doctrina theologica iis ſolum jam poſſit eſſe cognita, qui ſe totos, & integros huic ſcientiæ dederunt, a cæteris vero, quod niſi ingenti ſtudio, & multo tempore vel *technici*, ut vocantur, *termini*, nedum ipſa ſcientia comprehendi poſſit, majorem partem ignorentur ſublimiora quævis fidei noſtræ myſteria, quæ ſcholaſticis formulis implicata, nec populo fideli in concionibus explanari, nec etiam, a doctis, ac peritioribus, ſed ad alias res longius abſtractis, ex libris hauriri poſſunt. (a) a

Priventurque fructibus ex myſteriorum cognitione orituris.

II. Haberent quidem, quod juſtæ excuſationis loco afferre poſſent ſcholaſtici, dicendo, non oportere quemque quævis altiora ſcire, & intelligere niſi & hinc fieri quam maxime pronum eſſet, utilia etiam a chriſtianis populis, & quæ animum ad pietatem & gratitudinem erga divinum Numen accendere queunt, dum proponuntur, non capi, aut maximum

ximum

(a) Hoc dudum agnovit NICOLAUS de CLEMANGIIS libro a me ante laudato: Inde, *ait*, eſt, quod ad prædicandum tardi adeo & ignavi ſunt, quia ſcientiam ad hoc utilem minime didicerunt, ſupervacuiſque occupati, utilia & neceſſaria omiſerunt.

ximum negotium proponentibus facessere, ut evolvantur suis involucris. Quis dubitet, multo melius cum doctrina christiana agi, si explanentur, quæ in illa obscura, dilucidentur, quæ abdita & recondita explicentur, uti fecerunt sancti Patres, quam si, ut hodiedum fit, ubi difficultas etiam nulla erat, adderetur.

Optima ingenia revocantur a theologiæ studio ob spinas scholastices.

III. Quin etiam multorum eorumque aptiorum peritiorumque animi a studiis adeo spinosis revocantur. *Obscuratis artibus*, sunt VIVIS (a) sæpe laudati verba, *remotis a sensu communi, conversis ad ludicra quædam spinosa & inamæna, sine ullo prorsus emolumento ad vitam, præclara ingenia & solida, at cum magno cum suo, tum publico fructu studiis vacatura, ab schola refugerunt. Nam ubi paululum modo ad illas se litteras, artesque applicuissent, ceu specimine quodam & exemplo capto resiluerunt protinus, non a peritia, quam illa ingenia unice expetebant, sed a carnificina animorum inutili seu potius damnosissima: videbant enim sub tot corticibus tam duris nihil occultari nuclei, inanem sumi laborem, ubi nihil speraretur fructus, tum se a rectis & naturalibus sensibus studio illarum artium ad*

(a) De caussis corrupt. artium L. II.

ad detortiſſimas, ac depravatiſſimas deduci artes ac diſciplinas, illas juſſerunt valere, & earum poſſeſſione ceſſerunt ingeniis cum artibus congruentibus, ut ſimiles haberent labra lactucas. Itaque vacuam & derelictam poſſeſſionem artium obſcuri homines, & abjecta ingenia occuparunt. Quodſi hic non ſapit veritatis teſtis, dabo alium, qui teſtimonii veritatis cauſa purpuram geſſit. *Ultro ſe offert ratio,* (in hanc rem diſſerit Emin. THOMASIUS in Indiculo Intr. theol.) *quamobrem theologica ſcripta Patrum in omnium olim manibus haberentur, & haud magna difficultate intelligerentur a quovis, dummodo inferiora rudimenta liberalium artium didiciſſet, & ſano prudentique judicio præditus eſſet: cum recentiora econtra ſcripta ſcholaſticorum viri ceteroqui ſani judicii, prudentes, doctique in eccleſiaſtica hiſtoria, ſanctisque conciliis & canonici juris profeſſores, nec primoribus labris guſtent, nec extremis digitis attingant; ſed ſoli ſcholaſtici legant, ſolique ſcholaſtici, ſi tamen omnes intelligant: imo ſi ipſimet acutarum quæſtionum auctores, quæ argutiſſime tractant, non intelligunt, ut feſtive dicebat theologus eximius Melch. CANUS, certe hic non aliam video rationem, quam quod alius modi ſit ſtilus Patrum ac ſcholaſticorum: ille planus aptatus ad omnes,*

 hic

hic ſubtilitatibus, acuminibus, ac tricis refertus, reſervatus ad paucos.

Etiam ad officia publica rectus ingeniorum ſelectus impeditur.

IV. Sed ad aliud ex bellatrice theologia progrediens, iſto etiam pejus, malum deſcendamus. Illud in eo ſitum eſt, quod facile contingat, ut quo quisque confidentiſſimus eſt, & ad aſſerendum, aut inficiandum projectiſſimus, ita idem ſcientiſſimus, & litterarum copia inſtructiſſimus non ſolum ab imperitorum natione, ſed etiam ab iis habeatur, a quibus cathedræ, munera, & officia publica penduntur: Is econtra, qui has inanes tricas, & ſubtiles telas ingenii magnitudine deſpiciat, qui probitatis ſenſu, & modeſtiæ imbutus a perpetuis digladiationibus alienus eſt, alteri in aſſerendo impudenti, in contendendo temerario poſtponatur. Magna ſæpe injuſtitia hac ratione optimæ indolis, & ingenii maturique judicii, & perſpicacis juvenibus, & viris fit, dum hi relinquuntur naturæ ſedatioris, & hinc plerumque melioris, illi aſſumuntur, qui lingua quidem proniſſimi, audacia pervicaciſſimi, ſed forte ingenio minus pollent; namque, ut FABIUS (a) advertit: *Quo quisque ingenio minus valet, eo magis attollere ſe ac dilatare conatur.* Et PLINIUS

(a) L. IV. Inſtit.

NIUS etiam obſervavit, recta ingenia verecundia debilitari, perverſa confirmari audacia. Sed quam multo aliud apud multos iniquos rerum æſtimatores eſt de ſelectu ingeniorum judicium! quam multos inanis clamoſitas mirandos facit; ſui quædam diffidentia cum optimo ingenio conjuncta contemptibiles reddit?

CAPUT XIV.

Mala ex depravatione ſcholaſtices in ipſos theologos viros eccleſiæ addictos, & cætus religioſorum redundantia.

I. Sunt etiam aliqua ſingulatius dicenda de iis incommodis, quæ theologia ſcholaſtica apud viros eccleſiaſticos religioſorumque cœtus efficere valet: quæ meo judicio non pauca ſunt, nec etiam exigui momenti. Non eſt mihi hic ſermo de iis perturbationibus, quas in diſciplina eccleſiaſtica, & monaſtica relinquit, quæ tamen magnæ & multæ ſunt. Etenim multum temporis, & optimos annos, in multis vanis, & inutilibus ſpeculationibus conterere, quæ nihil ad ædificationem proximi, ad propriam utilitatem parum conferunt, num permittere inſtitutum

Perverſa ſtudiorum ratio in cauſa, quod quidam ſtudiis his fuerint infenſi præſertim monaſticis.

ecclesiasticum, ac monasticum cumprimis censendum est? Sane hæc in causa esse reor, cur nostra ætate tam infensi quidam studiis monasticis fuerint, ut vel dissidium circa studia litteraria inter BUTILIERIUM & MABILLONIUM ostendit: quod scientiæ philosophicæ & theologiæ juxta methodum, qua nunc in scholis traduntur, nonnisi curiositatem, dissipationem, cavillationesque exhibeant, in jugibus siquidem, sunt ipsius MABILLONII (a) verba, disputationibus, vocumque obstrepentium fragore major horum studiorum portio consistit. Sed de his ut dixi nunc non est sermo. Sunt alia detrimenta, quibus theologia scholastica religiosum institutum afficit & affligit.

Cur theologi post scholæ absolutum curriculum non admodum ad studia ferveant.

II. Sæpenumero mecum cogitavi, quæ causa sit, quamobrem multi ex illis, qui sunt singillatim ecclesiæ, & religioni sacræ addicti, postquam cursum suum, ut vocamus, scholasticum philosophiæ, & theologiæ absolverunt, confeceruntque, dum jam sibi ipsis relinquuntur, non eo ardore, quo optandum foret, deinceps ad studiorum prosecutionem ferantur. Ingenii vires deesse existimandum non est, cum antequam muniis

(a) Tract. de stud. monast. P. I. c. 13.

niis ecclesiasticis addicantur, sacris disciplinis instruantur. Priusquam etiam ad sacros ordines admittantur candidati, ratio & delectus habetur, nec hebetes quivis aut inepti suscipiuntur; sed qui felicibus, ut dicitur, astris, & propitio Jove nati sunt, seliguntur. Plerisque nec animus etiam deest ad ea molienda, quæ suo nomine, suoque instituto digna sunt: cum alios ipsa naturæ probitate, alios vi quadam mentis, & impulsu ad ea eniti cernamus, quæ cum decore, & decentia conjuncta sunt. Non pauci tamen existunt, qui hæc potius in aliis quibusvis demum rebus, quam scientiarum studiis consectantur. Quod quam recte ab illis fiat, nunc non disputo; causam solum inquiro, unde ita accidere soleat. Mihi potissima videtur scholastica illa theologia, in qua toti juventutis anni jam transiguntur, omnis illa ætas, quæ capiendis scientiarum principiis, & jaciendo ei fundamento, cui reliquæ vitæ occupationes superstruantur, unice apta & accommodata est. Cum vero scholasticum studium ejusmodi sit, quod, ut ita dicam, omnia sua secum portet, quod nihil ex aliis scientiis & artibus subsidii, & adminiculi admittat; omnia etiam aliarum optimarum disciplinarum studia negliguntur, nec mens in annis juveni-

libus ulla eorum ſemina percipere allaborat; profecta deinde ætate, primum diſcere, & veluti repueraſcere pudet, pigetque: ætatem vero omnem in ſcholaſticis ſubtilitatibus conſumere, multæ cauſæ & rationes ſunt, quibus abſterreatur animus, quarum aliquas tantum, quas ſecurius afferre audeo, hic recenſebo.

Cur animi a terenda perpetuo ſcholaſtica abſterreantur.

III. Imprimis enim, cum ſtudium iſtud pungere ſubtilitatum illis ſpinis nunquam deſinat, ægre ſemper, ac veluti renitens ad illud intellectus ſe applicat, qui & ſuis nonnunquam delectari avet bellariis, & dulces, ſuavesque metere flagitat fructus, poſteaquam tulit labores; florem veris poſt aſperitatem hiemis, maturitatem autumni poſt ardorem æſtatis deſiderat. Sed hac ſpe plane deſtituere ſuos cultores videtur ſcholaſtice: eadem ſemper, ac ſibi ſimilis, aſpera, dura, & ſpinoſa perſiſtit. Poſtquam jam putamen rejeciſſe, nucem perfregiſſe videberis, & ad nucleum penetraſſe, quo miti, mollique veſcare; novi ſe prodent cortices, ac putamina ſubtiliſſima. Deinde cum theologia iſta ſemper ſit contentioſa, nullasque pacis pactiones ferat, atque adeo humano commercio parum idonea; facile accedente judicii maturitate, poſt-

quam

quam æstus juveniles deferbuerint, vilipenditur, & abjicitur. Cui accedit, quod eas etiam maximam partem pertractet res, quarum usus in rerum natura nullus fere est, quæque a communi hominum sensu sunt remotæ, & peregrinæ: ut mihi hæc disciplina peropportune AGAR illa dici posse videatur, quæ nobis nonnisi ISMAELES progignat, qui sint contra omnes, & omnes contrarios sibi habeant.

IV. Demum ut scapha semper est scapha, sic scholastice semper scholastice eadem dictione, qua utitur squalida, inculta, hibrida; rebus quas pertractat, ad nauseam constans; quippe quæ easdem semper materias eodem modo inculcet. Mille auctores postquam perlegeris, millies de iisdem rebus jejune, aride, disputatum inveneris. Rerum ordine, methodi ratione itidem eadem perpetuo est: in qua nihil quod sua varietate delectet, novitate alliciat, fastidium avertat. Nec abs re est, bilem tandem movere cuivis hujusmodi studium (etiamsi delicati adeo non sit palati) incomta illa & horrida plerorumque scholasticorum tractandi methodus. Revera hæc causa est potissima, quod multi etiam viri sacris initiati alienum a mu- Scholasticæ theologiæ brevi tædet homines.

ſis animum nanciſcantur; cum iſtorum pertæſi, in quibus jam integros annos ſuos ſcholaſticos multo cum ſudore conſumſerunt, aliarum ſcientiarum nullis principiis imbuti, diſcendi optimo tempore, & ætate elapſis, palæſtram prorſus abjiciant, quo nullum deterius malum monaſteriis præſertim ſtudiorum, bonarumque mentium ſeminariis, eſſe poteſt.

Spiritus contrarius evangelio fovetur per ſcholaſticam methodum.

V. Alterum quoddam eſt malum, iſto adhuc pernicioſius multo & deformius quidem, ſed infrequentius, nec niſi naturæ quadam malignitate accedente contingere ſolitum: ſcilicet iſto contentioſo ſtudio veluti ali, nutriri, ac foveri *ſpiritum* chriſtianæ manſuetudini, humilitatique adverſum, quo exemplo CHRISTI maxime ornati eſſe debent illi, qui ſunt eccleſiæ muniis adſcripti. Negare non poſſumus, magnam habere vim, & poteſtatem in humanis rebus, & ingeniis conſuetudinem, quæ vulgo etiam altera natura habetur. Nemo inficias ibit niſi ratio moderetur, & pietas, iſtum perpetuum contendendi, objiciendi, contraeundi, ſubtilitates excogitandi uſum, & exercitationem funeſta ſæpe quædam in mentibus reſperſa relinquere ſemina, ex quibus proni ad obnitendum, diffi-

ciles


ciles ad morem gerendum, contumaces ad obſequendum, ipſa quodammodo conſuetudine evadant; minusque, quam decet, tractabiles, mites, & manſuetos ſe præbeant: & qui promti ſunt ad lites intendendas in ſcholis, etiam projecti ad eas ſint in converſatione, ac vita ſocietateque humana. Aliarum econtra diſciplinarum maxime ſubſidiorum illorum & fontium theologicorum ſtudio ingenia, etiam alias atrocia, manſueſcunt: eoquod hæc ad emolliendum animum, & movendum accommodata ſint; illa etiam ad obfirmandum, & obſtinandum. Quod dum fit, primarius theologiæ finis amittitur, pervertiturque: cum propheta regius prius bonitatem & diſciplinam, quam ſcientiam a DEO doceri petierit, & *Jo.* GERSON (a) theologum deſcribat: *Quod ſit vir bonus rerum divinarum peritus:* præpoſita ſemper peritiæ probitate. a

VI. Sed eſt aliquando finis ſtatuendus querelarum, cum jam longius proceſſerit oratio, quam eam protrahendi propoſitum fuerat, & voluntas: dum fortaſſe rei neceſſitas, & indigentia longiorem etiam adhuc ferre non recuſaſſet. Si quæ ſint in ſchola theologica Excuſatio auctoris.

H 5 alia

(a) L. IV. de conſ. pr. 4.

alia adhuc animadversione digna perspicient, majore sagacitate, & perspicacia præditi, quæ advertentiam fugerint. Si vero in multis secus esse deprehenderint periti, quam a me fuit expositum, dedoceri nunquam recuso. Sed tamen omnia non ejusmodi esse, ut universim rejiciantur, virorum expertorum, clarorumque, quorum testimoniis sum usus, & auctoritate, ut confidam, adducor. Quibus nihil non tribuo: & etiam, quidquid boni hic continetur, ut justis possessoribus, facile permitto. Quoniam vero antequam vitia, & incommoda scholastices enarravi, etiam virtutum ejus commemini, ac de illius natura, quædam, priusquam depravaretur, disserui, restat, ut exponatur, quid boni ex ea sumendum theologiæ vindicandæ cupidus sibi putet, quid mali, & qua ratione fugiendum existimet.



CAP. XV.

CAPUT XV.

De restauratione contra depravationes theologicas, & ratione servandi illius dotes.

I. Ex jam dictis abunde conjicere est, scholam theologicam (ut in plerisque rebus humanis fieri solet, quæ multorum variorumque hominum manus, & industriam subeunt, quorum non eadem semper sunt sensa, diversa studia, impares vires) esse multis rebus commendabilem, multis item vituperabilem; ut quod in agrorum hortorumque cultura advertimus, inter bonarum frugum spicas loliorum, zizaniorumque frutices intersitos semper excrescere, hic etiam locum habeat. Quantam optimarum frugum messem, quam optatam segetem polliceri poterat, si omnia illa seminum genera, quæ unus ager ille, in se complexa, efferre gestiebat, cum antea dispersa erant, suam maturitatem essent emensa, neque extinctis illis, majorem partem inutiles caules, vacuæ arundines, asperi sentes, pungentes & acuti vepres extulissent sese.

Quantum descive-rint a pri-mævo in-stituto suo scholasti-ci.

II. Pro-

Multa egregie in prima scholastices constitutione facta, sed a malis colonis in usum perversum tracta.

II. Provide plantarunt vineam suam scholastici, sepem circumdederunt ei, & torcular in ea foderunt, ac turrim ædificaverunt; sed imprimis ineptorum agricolarum desidia & ignorantia, quibus vinea ista locata est, factum est, ut fructu sperato destitueretur. Cum enim sepes essent ad vineam ab alienis custodiendam, mali vinitores factas putasse visi sunt, ut nullis etiam operibus excolenda pateret, nullis accessionibus propagaretur, nullis novis stirpibus sarciretur. Torculari, quod fossum erat, ad dulcem maturi botri liquorem fundendum, stulti crudos accinos subjecerunt, qui dum suapte natura nonnisi succum amarum redderent, nimia etiam, & immani compressione amarissimum stillarunt. Et quod omnium insanissimum oxalme hoc suum, spreto vetere vino, ipsi avidissime hauserunt, orbique terrarum propinaverunt. Turrim suam, quo munimento maxime gaudere poterat vinea ista, & tuta stare, instruxerunt quidem provide, sed inanium cavillationum, & pugnarum, inter seipsos digladiati sunt, debachati immiti & turgido musto suo pleni homines. Quare quidem primi illi scholastices institutores laudem evangelici illius patrisfamilias sibi conciliarunt, vineam theologicam sepi

ſepi claudendo, torcular fodiendo, turri muniendo : dum omnem doctrinam chriſtianam adunarunt, ac veluti ordinatiſſima vitium inter ſe ſerie diſpoſuerunt, rationis autem veluti torcular addiderunt, cui non primæ tribuerentur partes, ſed præeunte illa ſcripturæ cæterarumque auctoritatum calcatione; demum turri illa dialectices communierunt, qua ad pugnas exercerentur operarii, & contra adverſariorum impetus & inſidias vallati conſiſterent. At vero, qui hæc omnia ſubſidia, & propugnacula aut in perverſos uſus commutaverunt, aut iis imperite & præpoſtere uſi ſunt, tanto deteſtabiliores exiſtunt, quod optimis rebus peſſime abuſi ſint, ac munimenta in ludibria converterint. Ut non immerito tot, & tam graves de mala vineæ cuſtodia, de botri amaritudine, de ſpinis illis pro uvis natis, querimoniæ paſſim fiant. Itaque cura ſuſcipienda eſt, ut vinea hæc Domini ſabaoth, primæ ſuæ dignitati & robori reſtituatur, florique: ſubſidiorum, adminiculorum munimentorumque uſus rectus fiat, abuſus vero tollatur. Et qui deinceps operandæ vineæ conducti fuerint, eorum, quorum ineptæ fuerunt operæ, neutiquam ſequantur ductum; primos illos gnavos & induſtrios, non imperitos, & deſidioſos ſectentur.

III.

De virtutibus scholastices aut servandis, aut restituendis.

III. Quinque virtutes in superioribus ex P. *Fr.* VAVASSORE relatas vidimus singulares prorsus, & conspicuas, quas sibi proprias vindicet scholastice: sunt vero *ordo*, *perspicuitas*, *brevitas*, *doctrinæ sanitas*, *argumentationum vis & efficientia.* Has sibi adjungendas esse, qui perfecti theologi munus, & officium explere avet, non ambigat. Sunt enim cumprimis accommodæ ad theologicam tractationem: ut in tanta rerum varietate ordo, multitudine brevitas, sublimitate perspicuitas, errandi proclivitate, periculi vero magnitudine securitas; in summi momenti, & arduitatis negotio, dissentiendi pervicacia, adsit argumentationum vis & efficientia.

Quatenus theologia scholastica virtutes suas servarit aut amiserit.

IV. Has omnes tamen virtutes scholastices, frustra fortasse in mundo scholasticorum quæras. Non tamen æque in omnibus sunt prolapsi, cum multo minus in ordine peccent, quam in brevitate: brevitatis etiam majorem adhuc conservent cultum, quam perspicuitatis, quæ penitus ex eorum scriptis exulat: sanitas doctrinæ etiamnum in schola custoditur (ne quid tamen de morum doctrina molliori dicam) ut, quæ tractant, cum fide quidem congruant, sed ad illam non æque omnia conducant,

eique

eique prosint. De vi & efficientia argumentationum postea mentem aperiam meam. Quid vero in hac tota causa agendum est? Nempe quod adhuc immune a vitio atque a lapsu servatum est, ambabus ulnis amplectamur; ea vero, quæ vitiata sunt, restauremus; quæ prolapsa, a ruina vindicemus.

V. De ordine scholastices multa sunt, quæ in suum usum convertat, vindicandæ theologiæ, ac pristino nitori suo restituendæ cupidus. Materiarum illa cohærentia, & perpetuum rerum vinculum, quo omnia inter se connexa, & aptata, idem doctrinæ filum trahunt. Brevitas non sicca & hiulca, sed floridior quædam, & veluti gravis eligatur: ut omnis quidem superfluitas, non omnis tamen ornatus & festivitas sermonis desit. Perspicuitate nihil est amabilius, nihilque jucundius: cujus proin theologo summa cura, & studium esse debet. Id enim muneris suscepit, ut scripturas exponat, mysteria explanet, arcana fidei dilucidet, deque veterum intellectu pronunciet: ad quæ omnia si perspicuitatem non affert, plus nocet, & involvit, quam juvet. Eam doctrinæ sanitatem tute mutuare a scholasticis quis potest, ut, quæ eorum consensu

Quomodo virtutes a VAVASSORE recensitæ vindicandæ.

sunt

ſunt probata, fidei etiam probari non ambigat. In id enim maxime ſemper incubuerunt, ut fidem intemeratam cuſtodiant, nullas etiam temerarias opiniones tueantur, ſed ſecuritatem undique præſtent. Utiliſſima ergo theologo & ſummopere neceſſaria hæc indemnitas, quam cynoſuræ inſtar nunquam ex obtutu dimittat. Quodſi etiam efficientiam ſcholaſticarum argumentationum explodere luberet, doctrinæ tamen illam vim probemus oportet. Multa in veterum Patrum ſcriptis ſunt ſparſa perſæpe, quæ ad rei intentæ conſenſum pellicere quidem valent, evincere non poſſunt, quæ illi non inviti tamen, aut imprudentes poſuerunt: ſcholaſtici vero nonniſi firma, quæ aſſenſum etiam a nolente extorqueant, afferre conantur. Antiqui illi nonnunquam blanditiis, phalerisque ſunt uſi; noſtri ſcholaſtici machinis, & arietibus rem agunt. Illorum argumenta admitti ſæpe poterant, quin quod inde petebant, concederetur; his, ſi argumenti vim non elidis, quod inde deducitur, cogeris admittere.

Methodum & rationem tractandi

VI. His jam veluti ſparſis in theologicam ſcholam virtutibus ita ſe habentibus, præcipua illa non tam virtus, quam

quam ipsa natura scholastices prodat, & se theologo commendet, nempe ratio, methodus, & disciplina, qua totius doctrinæ universitatem complexam refert, ac exhibet, atque ceu terminis circumscriptam in scientiæ forma repræsentat. Exurgant, quotquot velint, scholasticen damnent, diris devoveant, ipsi theologiam aliam comminiscantur, doctissime eruditissimeque materias pertractent, omnium scientiarum, & artium adminicula adferant, quæ ad perfectum theologum conferunt; antiquitatis lumina undique succendant, theologiam politissimam, elegantissimamque procudant; si scholastices nomen aspernentur, ingratos traducere non verebor: ab iis enim primum ratio profecta est res theologicas disciplinæ & artis methodo pertractandi, quam laudem, qui illis detrahunt, justitiæ leges perfringunt, suaque suis possessoribus impie abjudicant. theologiam a scholastica mutuare debemus.

VII. Hæc sunt, quæ modo retulimus, quæ adhuc ex funesta illa scholastices ruina, ceu rudera quædam relicta sunt, quibus arcem theologicam resuscitaturus ædificii sui molem, ac structuram, quam meditatur, superstruat. Sed antea locus repurgandus est, quod, ut initio statim dixi, duplex jam theologo Corruptæ vero theologiæ vitia corrigenda.

negotium facessunt. Profecto ii ipsi, quos scholastices suæ honori, & dignitati velificantes, perspeximus, ejus amore obcæcari haud eo possunt, ut non etiam quam plurimas labes ab ea abstergendas notaverint, complurium macularum eam admonuerint. (a)

VIII. Di-

(a) *Juvat iterum doctissimum* VAVASSOREM *loquentem audire : uti est eorum mos*, *qui ne offendant*, *anxie cavent*, *ut non tam sua*, *quam aliena sensa referre se simulent.* Jamne vides, *affatur scholasticen*, ex iniquis tuis, qui opponant, abs te grandia nimis minute; dubia nimis pertinaciter; supervacanea nimis laboriose; soluta & libera christiani juris licentia nimis anxie & morose, & quadam cum superstitione, ac miseria tractari? quid si ipsi illi, qui tua causa cupiunt, ac debent, te tantum indulgere novitatibus nolint; plusculum largiri sacræ historiæ, Patrum senectuti, juris christiani incunabulis velint; non prophanas auctoritates omnino defugere, non aperte contrarias in tuam sententiam ingratiis detorquere, non difficiles, primumque auditas subito, atque ex tempore interpretari audere? Tuos autem vel professores, vel alumnos aspice, ut dum rerum curam affectant, te deforment verbis: dum uni tibi vacare velle dissimulant, reliquarum ad te magnarum rerum ignorationem velut præter dotem afferant. *Quis tam amica monita non peramanter amplectatur? Tam officiosam voluntatem non amet? Benevolum non sequatur consilium?*

VIII. Dici ſolet, cuilibet rei veluti duas eſſe adverſas partes, ac facies ex quarum altera commendetur, altera vituperetur. Hoc ſi ulla in re; in noſtra ſcholaſtice verum deprehenditur. Accidit ergo, ut pro ſtudio partium, & affectu animorum complures unum ejus latus aliquod intuentes aut vituperarent, damnarentque penitus, aut laudarent, probarentque prorſus. Ad prius genus referendi ſunt LUTHERUS, CALVINUS cum ſuis, atque ex catholicis etiam cum ERASMO multi huic theologiæ infenſi. Ex altera parte ſtant, qui eam nimis depereunt. Nobis curæ fuit, ut quantum licuit, ambo ejus latera inſpiceremus. LUTHERUS, qui eam ex odioſa parte ſolum aſpexit, qnam atris eam coloribus deſcribit apud HANGESTUM? *Scholaſtica theologia eſt ea, quæ a Pariſienſium Sorbona mixtione quadam ex divinis eloquiis, & philoſophicis rationibus, tanquam ex centaurorum genere biformis diſciplina conflata eſt.* Huic definitioni in odium fabricatæ HANGESTUS in ſua academiarum defenſione hanc legitimam opponit definitionem: *Scholaſtica theologia eſt divinarum ſcripturarum peritia, recepto, quem eccleſia approbat ſenſu, non ſpretis orthodoxorum doctorum interpretationibus, & cenſuris,*

Theologia ſcholaſtica hinc commendabilis, illinc vituperabilis.

ris , & interdum aliarum disciplinarum non contemto suffragio. (a)

CAP. XVI.

(a) *Hanc descriptionem mihi* LAUNOJUS *suppeditavit: De varia* ARISTOTELIS *fortuna C. XII. ubi plures ejusdemmodi postquam in medium attulisset, ea commentatur, quæ hic referre haud importunum.* Ex iis (*definitionibus*) modus præstituitur, quo multorum expostulationi juste satisfiat. Igitur sumat quis in manus scholasticos doctores quoscunque, legat, & perlegat, & cum inciderit in quæstiones, articulos, membra, capita, partes, sectiones, vel alios similes titulos, quibus allatæ definitiones theologiæ convenient, tunc studiose amplectatur, & auctorem ea in re verum esse de schola theologum ingenue pronunciet. Sed cum incurrerit (quod non raro fiet) in quæstiones, articulos, membra, capita, partes, sectiones, vel alios similes titulos, quibus allatæ definitiones theologiæ non convenient, procul amandet, & auctorem ea in re falsi & ementiti nominis esse theologum intrepide dicat, & nunc negari immerito non poterit, quin auctor ille scholæ, quisquis fuerit, dogmata theologica tractaverit ad normam definitionis, quam LUTHERUS composuit: Dicenda profecto sunt cum veritate, quæ veritas ipsa gessit. Quidquid id est, brevibus enunciabitur, sic quis cum facultate theologiæ in hoc vel illo argumenti genere, quod tractat, non loquitur theologice, sed philosophice, repellendus ergo est, quia theologum non agit, sed philosophum. Et sane qui dogma vere theologicum philosophi-

cis,

CAPUT XVI.

De remediis contra vitia dictionis & logomachias scholasticas.

De emendandis vitiis dictionis in scholastica theologia.

I. Age articulatius quædam de præcipuis momentis prosequamur, quæ ad repurgandam a vitiis theologiam scholasticam faciunt. Quod ut ordinate fiat, quæ hic promiscue sunt recensita, ea ordinis serie, quam superius servavimus, expendamus. De vitiis dictionis ordiamur. Verborum, & sermonis deformitate, ut se purget scholastice, opus est Ethnicorum scriptorum lectione. Quis enim vetat, has gemmas tanta sollicitudine conquisitas, quas illi ad profanos usus adhibuerunt, a nobis ad sacros transferri, si

cis, non theologicis rationibus probat, id prodere citius, quam probare mihi videtur. *Tum sibi objicit*, non omnes quæstiones, in quibus solvendis desudant scholastici, tractari posse quemadmodum tractandas esse allatæ definitiones theologiæ præscribunt. *Cui sic respondet*: quid aliud inde, quæso, sequitur, nisi quod quæstiones hujusmodi a theologo tractandæ non sint, sed philosopho relinquendæ, si tamen relinqui debeant, & non potius abjici, & obliterari.

moderate id fiat. (a) Modus, ut in aliis rebus, ita hic ſeſe quam maxime commendat: ut enim ſuperſtitionem quandam nemo approbet, ita nec illa licentia, ac deſidia ferenda, qua nullo ſelectu habito, nulla, ut pura & defœcata fluat oratio, adhibetur cura; & dum probata uſu & antiquitate ſuppetunt verba, ſordida potius & horrida afferuntur. Termini ſcholaſtici magnum uſum præſtant, ſi modo ſint accurate definiti. Pronum eſſet eorum exempla producere, qui in errores inciderunt ob hunc neglectum: nobisque jam inveteratus uſus, & præſertim exortæ controverſiæ, neceſſitatem fecerunt logicis & metaphyſicis terminis, & conceptibus utendi. Sed his nihil obſtantibus ſermonis tamen poteſt conſervari mundities,

(a) *Optimum nobis hic præbet* Jo. GERSON *conſilium epiſtola ad ſtudentes coll. Navarræ:* Scriptis gentilium ſe non tradere, ſed commodare, & ea velut peregrinando percurrere nequaquam improbaverim, tum pro copia ſententiarum moralium, tum pro ſtilo, & ornatu verborum, tum pro poematum, & hiſtoriarum qualicunque peritia, demum pro oblectamento quodam ex varietate lectionis, quamquam & in ſacris doctoribus, ut in AUGUSTINO de civ. DEI, in OROSIO, HIERONYMO, LACTANTIO, & ſimilibus iſta abundanter, nec minus, ſi non plus utiliter invenienda crediderim.

dities, quæ non tam in ſingulis verbis, quam in eorum nexu, apta conjunctione, totiusque ſermonis concinnitate conſiſtit. Jam ſuo exemplo multi docuerunt, philoſophiam, & theologiam etiam, ut in ſcholis traditur, emendatum ſtili nitorem, & comitatem non recuſare. Sed quod id paſſim non fiat, humaniorum & politiorum litterarum neglectus in cauſa eſt. Multa lectione, multa obſervatione, ſubacto judicio opus eſt, ut & verba ipſa in numerato ſint, & eorum uſus non ignoretur. Illud vero caveamus, ne res etiam utiles, quando ſuavitate ſermonis non condiuntur, abjiciamus. Habemus multos ſtili inculti auctores, qui res ſcitu cognituque dignas litteris mandarunt. Diſtinguunt periti duplex incultorum ſcriptorum genus: alterum, quod dicendo ſe prodit, res interim utiles, ac ſalutares docendo, quod modis omnibus probari, ac conſervari par ſit: alterum iſtorum genus auctorum ut verbis, ita & rebus inutile, quod quoquo modo abolendum ſit.

II. Contra logomachias, de quibus ſecundo loco dictum, quædam hic a laud. Werenfelsio (a) remedia conſtituta in medium proferam. Primum putat *De remediis logomachiarum.*

(a) Logom. c. 9.

putat *Lexicon aliquod universale logomachiarum adornandum. Item purgationem artium & disciplinarum a vocibus, & locutionibus non modo nullam aut confusam, sed etiam incertam significationem habentibus.* Hac ratione v. g. *Stephanus* GAUSSENUS hanc quæstionem, num theologia ars sit, an scientia, esse meram logomachiam deprehendit, ipsius GAUSSENI verba audiamus : *Vis rem experiri*, inquit, *dubitabile illud nomen ars, scientia, sapientia aliquantisper sepone, & quænam sit, theologiæ natura extra hoc nomen hodiernos istos disputatores interroga; eos videbis de rei summa plane inter se consentire, at in vocibus occupatos, quod fatale est hujus sæculi malum, inanes sonos fundere.* Sane eum, qui hæc GAUSSENI verba, & observationem accuratius perspexerit, & aliis materiis theologicis permultis applicuerit, multam lucem, & utilitatem, inde percepturum puto. Qua in re insignem usum præstant definitiones nominales, quas nostræ memoriæ philosophi tantopere commendant. Istis siquidem cavetur, ne nobis voces notionis vagæ, aut prorsus nullius obtrudantur. Ipsi etiam termini non solum aptis descriptionibus, circumscriptionibusque evolvuntur, & depositis paulisper verbis technicis res ipsa ob oculos veluti ponitur: suis de-

picta

picta nativis coloribus, sepositoque sono unice vocum sensus explicatur. Tertium remedium contra logomochias constituit WERENFELSIUS: *Si controversiæ, & pugnæ, cum hominibus mutantur, quantum fieri potest, in pugnas cum sententiis.* Quartum: *Si, quantum res patitur, disputationem transferimus a genere ad speciem, ab universalioribus ad minus universalia.* His quatuor generalibus alia specialia addit, sed ad hæc facile reduci possunt; quæ quidem non parum conducere possunt ad latentes hos momulos detegendos; sed industria, sagacitas, judicii perspicacia, & assiduitas optimum sunt, & præsentissimum remedium. *Videatur dissertatio de ratione exercitiorum scholasticorum, ubi hæc copiosius tractantur.*

CAPUT XVII.

Quomodo, & quales quæstiones inutiles, ac vanæ declinandæ.

I. Quæstiones inutiles ab utilibus dignoscere difficultate non caret: sæpe enim, quæ alicui inutiliter tractari videntur, alii secus obversantur; eoquod non æque omnia ab omnibus momenta expendi semper valeant, aut humana sapientia pervadi. MABIL- **Regulæ ad evitandas quæstiones inutiles.**

LONIUS (a) ſuo de ſtudiis monaſticis tractatu tres nobis inſignes hanc in rem canones ſtatuit. Ad quos ſi materias ſuas expenderit theologus, puto fore, ut multæ ſcholaſticæ tricæ reſecentur, atque perenni obruantur ſilentio (quæ paſſim otioſiſſima occupatione ventilantur) earum vero loco res theologia dignæ tractentur, quæ nimirum ſcripturæ ſacræ, aut traditionis, hiſtoriæ eccleſiaſticæ, ac doctrinæ chriſtianæ notitiam juvare, vel fidelibus pietatis ſemina inſtillare poſſunt.

Eæ quæſtiones omittendæ, quæ nullo pietatis & morum profectu diſcuntur.

II. Primo autem loco eæ quæſtiones ſunt declinandæ, quæ pietati poſſent quoquo modo adverſari. *Niſi ipſa fortaſſe aliquando pietas a nobis poſtulet*, ut *Jo.* MALDONATI (b) verbis utar, *ut cum aliquo ſuo periculo minore a majore periculo liberemus. Quapropter nolim equidem eas quæſtiones in theologicis ſcholis unquam audiri, an corpus CHRISTI potuerit eſſe in Euchariſtia ante Incarnationem eodem modo, quo nunc eſt; an Filius DEI fieri potuerit fœmina, an potuerit aſſumere naturam, neſcio quam, quam pudet me ſane nominare: deinde rebus aut inuti-*

(a) P. II. c. 7.
(b) Apud LAUNOJUM de varia ARIST. fortuna. c. 12.

inutilibus, aut alienis, aut ridiculis abstinendum esse censeo. Profecto præcipua theologi cura sit oportet, ut eæ omnes profanæ & falsæ opiniones proscriptæ, nec in hominum animos unquam veniant, quæ lascivienti hominum indoli libidinique indulgent.

III. Quæstiones etiam curiosæ arcendæ a theologia sunt. Quæ regula tum in ipso materiarum selectu attendenda est, cum etiam in modo & ratione disquisitionum theologicarum observanda; ne nimirum in communibus etiam controversiis simus in inquirendo nimii, ut propositæ quæstionis omnes oras sinus & recessus, peragrare satagemus. (a) Ad hunc censum pertinent etiam quæstiones nimium ab intelligentia & captu nostro remotæ atque sublimes. A S. CYRILLO *Alexandr.* ejusmodi de rebus omnino imperviis quæstiones damnatas alibi notavimus: stultissimum

Quæstiones curiosæ, a captu nimium remotæ cavendæ.

(a) Habet enim, *sunt verba Dion.* PETAVII *Proleg. theol. c.* 5. *n.* 7. infinita illa curiositas tum ingratam ac fastidii plenam operam; tum jacturam rei omnium pretiosissimæ, temporis, quod utilius in rebus aliis, hac impensa dignioribus occupari potuit; tum male apud homines audit eo nomine plerumque theologia, & in eorum sermones ac reprehensiones non prorsus negligendas incidit.

mum is eſt ratus, ea examini ſubjicere, quæ mentem noſtram tranſcendunt, ac conari intelligere, quæ percipi nequeunt. Quamvis ſæpe contingat, nos ab adverſariis ad hujusmodi lites conſtringi: contra quos in arenam deſcendere oportet, ut eorum ſuperbia frangatur, & errores confutentur, quos curioſe contra pietatem & fidem ſolent progignere. Hujus conſilii multa nobis in ſanctis patribus exempla ſuppetunt: ac imprimis contra Eunomianos, qui ſibi divinitatis doctrinam haud minorem quam ſui ipſorum arrogabant: contra quos linguam & calamos ſtrinxerunt inter alios S. CHRYSOSTOMUS pluribus in homiliis, ac ille theologus *κατ' ἐξοχὴν*. S. GREGORIUS *Nazianzenus* (a) eo loco præprimis quo diſquirit de quibus ſit diſputandum, & quatenus? *De his ſolum*, inquit, *ad quæ humani ingenii acies pertingere poteſt, & quatenus conditio auditoris & facultas quiverit aſſequi: ne ut intentior vox auribus, ut alimentum immodicum corpori, ut onera paulo graviora ſubeuntibus, ut denique terræ crebriores pluviæ nocent, ita ſane & auditores quæſtionibus altioribus & quaſi ſolidioribus degravati, preſſique, damni aliquid accipiant.*

IV. Ut

(a) Orat. I. de Theol.

IV. Ut ſcopuli etiam vitandæ ſunt quæcunque quæſtiones, quæ ad finem theologiæ præſtitutum, quæ eſt eruditio, & ſalus noſtra, nihil conducunt. Optat CANUS (a), theologiæ candidato talem præceptorem, doctoremque obtingere, qui ſatis in hac re ſagax ſit & cautus: *Præclare autem cum eo agetur,* ait, *cui præceptor contigerit, & eruditus & pius: qui cum certa ab incertis ſeparet, tum vanis quæſtionibus declinatis, utiles & neceſſarias ſeligat, doceatque diſcipulos eſſe quandam doctam ignorantiam, ſapientiusque eſſe, quædam neſcire, quam ſcire.* Quare nemo ſibi dedecori eſſe putet, in ejusmodi rebus ignorantiam ſuam confiteri: ſi quando a ſtultis harum rerum amatoribus ejusmodi aliqua proponantur ac excitentur dubia. Modum agendi cum tali homine nobis S. AUGUSTINUS (b) præſcribit, maxime, qui de verbis contentioſas lites movet. *Quisquis,* inquit, *id faciat, ſi imperitia facit, docendum eſſe, ſi malitia, deſerendum. Si doceri non poteſt, monendum, ut aliquid aliud potius agat, quam tempus in ſuperfluis, operamque conſumat: ſi non obtemperat, negligendum.* MABILLONIUS ſuo de ſtudiis monaſticis tractatu huc revocavit quæſtiones *de quo-*

Quales quæſtiones tanquam ſuperfluæ rejiciendæ.

(a) Lib. IX. c. 7. de loc. theol.
(b) Lib. III. contra Acad. c. 13.

quomodo, ſed id male habuit correctores Romanos, ut refert auctor hiſtoriæ diſſidii litterarii circa ſtudia monaſtica. Mihi vero dubium non eſt; quin ſapientiſſimus, ac modeſtiſſimus vir cum eo moderamine ſumenda hæc voluerit, quo a ſanctis Patribus, quorum auctoritate nititur, ſunt dicta. Non ut nihil ejusmodi diſquiratur, ſed ne quid nimis. Ut enim opportune prorſus ad rem loquitur auctor confutationis quarumdam propoſitionum inter opera D. ATHANASII, ſive ſit M. MERCATOR, ſive THEODORETUS, ſive MAXIMUS: (a) *Hoc ex ſcriptura diſcimus, ut ſciamus, quærenda quædam eſſe, ut quæ apprehendi poſſint. Ut enim audacter omnia perſcrutari pium non eſt, ita omnium prorſus inquiſitionem negligere, non eſt ſanctum. Quid porro adoremus, noſſe omnes oportet, ſecundum id quod ſcriptum eſt: Nos adoramus, quod ſcimus. Quærere autem, quantum, qualiter, quomodo, ubi, inſanientium eſt.* Egregia ſunt quæ *Lud. El.* DU-PINIUS de quæſtionibus ejusmodi in ſua methodo ſtudii theologici recte inſtituendi capite tertio inter alias tradit: *Notandum*, inquit, *inſuper eſt, quæſtiones τȢ quomodo dari, quæ uſum aliquem præbeant, & per principia ſacræ ſcri-*

(a) Inter opera ATHAN. T. II. p. 563. C. D.

ſcripturæ ſive traditionis decidi poſſint. Has nullo modo inter inutiles, atque ex ſana theologia exterminandas referimus, ſed eas tantummodo rejicimus, quæ neque in ſacra ſcriptura, neque in traditione, ut decidi poſſent, fundamentum habent, hasque ob idipſum ne quidem ſub nomine quæſtionum theologicarum venire debere dicimus; huc omnes quæſtiones de mera poſſibilitate pertinent e. g. an Spiritus ſanctus a Filio non procederet, ſi non eſſet perſona a Filio diſtincta.

Quæ quæſtiones non neceſſariæ exercitii cauſa tractandæ & quouſque.

V. Non itaque omnia, quæ moroſis quibusdam cavillatoribus in theologia diſplicent, ſunt exterminanda. Exercitationis gratia quæſtiones etiam quandoque non omnino neceſſariæ ſunt ventilandæ: quod a ſanctis Patribus factitatum eſſe comperimus, etiam a S. AUGUSTINO. Attamen non habent patroni ſcholaſticarum quæſtionum, cur in exemplo illo S. AUGUSTINI triumphent, qui in libris de civitate DEI quæſtionem illam operoſe diſceptat, an DEO nomen *Dominus* ante creationem & ab æterno jam competierit: attendere debuiſſent ad præceptum, quod dedit, theologis in ſimilibus controverſiis ſedulo animadvertendum. *Redeo igitur,* inquit,

a (a) inquit, *ad id quod creator noster scire nos voluit, illa vero quæ vel sapientioribus in hac vita scire permisit, vel omnino perfectis in alia vita scienda permisit, ultra vires meas esse profiteor. Sed ideo putavi sine affirmatione tractanda, ut qui hæc legunt, videant a quibus quæstionum periculis debeant temperare: nec ad omnia se idoneos arbitrentur, potiusque intelligant, quam sit apostolo obtemperandum præcipienti salubriter, ubi ait: Dico autem per gratiam, quæ data est omnibus, qui sunt in vobis, non plus sapere, sed sapere ad temperantiam: sicut unicuique DEUS partitus est mensuram fidei.*

CAPUT XVIII.

Quomodo cavendum, ne nimium rationis usum in theologia admittamus.

Ratio nostra corrupta cæcutit in naturalibus, ac magis in supernaturalibus.

I. Est intellectus nostri non tantum magna imbecillitas, verum etiam malignitas, crassa ignorantia, ac temeraria petulantia post lapsum, & depravationem originalem. Ei quidem gratia regenerationis medetur, ut tamen reluctetur sæpe, & ad antiquum redeat ingenium refragaria ratio per inhæren-

(a) S. Aug. Lib. XII. c. 15. De civit. Dei.

hærentem ſibi pervicaciam, & ignorantiam. Quæ cum tanta ſit etiam in naturalibus, ut multum in illis cæcutiat, quomodo in divinis, ac ſupernaturalibus ſatis oculata, ac perſpicax eſſe queat? Quotidiana nos docet experientia, homines in diverſiſſimas de iisdem rebus abire ſententias; ut adeo nihil rati, firmi, ac certi ſperari queat, ubi perpetuæ exiſtunt diſſenſiones; ubi pro diverſa apprehenſione, & capacitate aliter ac aliter ſtatuitur. Quomodo ergo lumen ratio inferre myſteriis poterit? Cum maxime in divinis, ac ſpiritualibus ſit vanitati, erroribus ac tenebris implicata, ut ſi ſe rebus ejusmodi ingerat, potius ea obſcurari contingat.

II. Id enim theologus præ oculis ſemper habeat, in ea ſe verſari diſciplina, cujus principia ultra, & ſupra rationem ſe efferant. Ipſa autem ſana ratio, & recta logica docet, unamquamque ſcientiam propriis, non alienis principiis niti debere & probari; ut adeo is theologus verus non habeatur, qui neglectis propriis principiis omnium præſtantiſſimis, fallibili corruptæ, depravatæque baſi molem ædificii theologici ſuperſtruere cogitat. Nihil opus eſt, pluribus iſta inculcare, huc enim omnis no-

Auctoritateque non ratione niti theologiam noverimus.

ſter iſtic ſuſceptus collimat labor. Deprehendiſſe videmur, omnem corruptæ theologiæ cauſam in hoc eſſe rejiciendam, quod multi potius rationis ſuæ commenta venditarint, quam documenta, monumentaque eccleſiaſtica. Identidem occaſio ſe obtulit iſta monendi, eorum cohortationes, clamoreſque afferendi in medium, qui longe majore ſuada, energia, & auctoritate hoc efficere potuerunt. Utinam, quibus hæ factæ ſunt commonitiones, iis ſe obſequentes præſtitiſſent, & ſaltem ſummos in terris arbitros audiiſſent Romanos pontifices, qui nunquam non hunc præpoſterum uſum rationis damnarunt, eumque, cum primum invaleſcere cœpit, ſublatum voluerunt. *Magiſtri vero*, ex illis GREGORIUS IX. ad academiam Pariſienſem ſcribit, *& ſcholares theologiæ in facultate, quam profitentur, ſe ſtudeant laudabiliter exercere, nec ſe philoſophos oſtentent, ſed ſatagant fieri theodidacti &c.*

Qualia principia rationis uſum in theologia habeant.

III. Quando autem contingit, nos principiis theologiæ propriis ac revelatis jungere rationis principia, ea ſic ſint comparata, ut de illorum firmitate non oriatur lis. Hoc dum non obſervatur, ex theologicis philoſophicæ evadunt diſquiſitiones. Quod accidit omnibus illis

ſcho-

ſcholaſticis diſceptationibus, in quibus abuſum rationis committi cernimus. Si enim rationes, quæ in argumentis ad probandas concluſiones theologicas adhibentur, neceſſariæ non ſint, erunt aut probabiles tantum, & contingentes, aut ſophiſticæ. Neque vero decet theologicam majeſtatem in talibus occupari, hærereque, neglectis ſuis rebus. Quodſi enim rationes illæ non ſint firmæ, aut adverſarium nanciſcentur, qui eas neget, aut alia indigebunt probatione. Quo caſu jam amplius in theologica materia diſquiſitio non erit, ſed de re naturali diſceptabitur, eaque tali, quæ prout ſunt diverſiſſimæ ac adverſæ hominum opiniones, nihil certi habebit; ſicque circumferemur omni vento doctrinæ. Pro principiis ergo rationis ea ſolum ſunt adhibenda, de quibus apud omnes, quibus ſanum eſt ſinciput, convenitur: quæque numerantur inter axiomata & veritates omnium, aut minime ſuſpectorum hominum conſenſu probatas, atque ſeſe ipſas per ſui evidentiam & perſpicuam veritatis lucem probant. Caveamus vero, ne neglecta veritate opiniones conſectemur: quod continget, ſi rationibus probabilibus ſolum, & contingentibus fidamus, noſque atque theologiam concredamus no-

ſtram. Non ſimus igitur in tam ſacra ſcientia opinatores, qui ad nullam pervenire queant firmam ac conſtantem ſcientiam. Opinionibus meris imbuti facile a vero abimus, diſcedimusque, dum quivis opinione ſua ſe veritatem tenere ſibi perſuadet.

Non in omnibus myſteriis, ac dogmatis ratio æqualem uſum præſtat.

IV. Inter ipſa autem doctrinæ theologicæ capita hic quædam intercedit diſtinctio dogmatum: ſunt, de quibus nobis non tantum per fidem conſtat, ſed etiam per rationem: e. c. DEI tum exiſtentia, tum inſignes ejus proprietates, creatio, & adminiſtratio mundi, humanarumque rerum, & alia, quæ adeoque etiam probationes ex fonte rationis hauſtas admittunt. Deinde inter quæſtiones illas, de quibus nobis ex fide conſtat, eſt itidem aliquod diſcrimen. Sunt quæ præciſe divinæ veritates exiſtunt, atque ejusmodi propoſitiones, quæ totæ ex terminis theologicis conſtent. Aliæ mixtæ ſunt ex termino revelato, & altero naturali: ut hinc dum prior terminus a fide cognoſcitur, alter a lumine tamen rationis explicandus veniat. Inter myſteria etiam alia ita ſunt a ratione humana, captuque remota, ut fruſtra acies mentis ad ea ſe efferat, in quibus non multum ſunt defati-

fatiganda ingenia. Alia non ita sunt remota, ut non scintillæ quædam rationi etiam affulgeant. Ad prius genus referri possunt mysterium Trinitatis, Incarnationis, incomprehensibilium DEI judiciorum. In secunda classe locantur quæstiones pleræque ex mixtis: scilicet quæ notionibus partim naturalibus, partim supernaturalibus constant: in quibus ut notiones quæque ex sua sphæra repetantur, nihil impedit, modo cum fide non pugnent naturales notiones.

V. Hoc enim in omni rationis usu est attendendum, ut ratio componatur ad præscriptum fidei, nec alia conditione in consortium fidei admittatur, quam ad confirmandum fidei dominatum; cujus non socia, particepsque, sed adjutrix tantum, & famula est, ut recte HUETIUS (a) scíscit, atque concordiam fidem

Ratio semper componenda ad præscriptum fidei.

(a) Esto, *inquit Alnet. quæst. L. I. c. 6.* adjutrix, ut voles, vel etiam defenstrix fidei ratio, auctor non sit: ancilla sit, administra sit, domina non sit: sit instrumentum fidei, non causa credendi: præstet motivum credibilitatis; non objectum formale fidei: suadeat suscipi fidem; non jubeat: præcedat fidem; non introducat: incedentem comitetur; non nutantem sustineat: præeuntem sequatur; non regat: vela faciat, rudentes torqueat, stet vel in prora, vel in puppi; clavum non teneat,

fidem inter & rationem paciſcitur. Ac recte is docet, quando etiam accidit, ut ratio penitus obmuteſcat, nullamque omnino lucem myſteriis fœneretur, integritati fidei nihil inde decedere debere; ut nihil de ſplendore ſuo deperdit ſol, ſi ad eum lucerna non adhibeatur. Quidquid homini ad credendum propoſuit DEUS, id credi juſſit non propterea, quod eſſet rationi conſentaneum, ſed quod a ſe, qui prima veritas eſt, revelatum id ſit, & ad credendum propoſitum. Sed de his omnibus in alia tractatione pluribus agendum differimus, quatenus ſpectant ad rite in theologia argumentandum, diſputandumque.

CAPUT XIX.

De recto dialectices uſu in theologia.

Theologia neceſſario uſum dialectices requirit.

I. Quod olim PLATONIS ſcholæ affixum, ne quis ἀγεωμέτρητος ingrederetur, id hodie ad theologiam accedenti fixum eſſe debet, ne ſit ἀδιάλεκτικός. Fides conſiſtere poteſt, ac ſalva eſſe, neutiquam theologia ſine logices uſu. Quærit D. THOMAS *P. I. q.* I. *a.* 8. an theologica diſciplina ſit argumenta-

mentativa? & respondet: *Licet sacra doctrina, sicut aliæ scientiæ, ad sua principia probanda non argumentatur; contra negantes tamen procedit illa, vel ex concessis illos redarguendo, vel eorum apparentes rationes dissolvendo, ex principiis tamen ad conclusiones argumentatur.* Item: *Hæc doctrina non argumentatur ad sua principia probanda, quæ sunt articuli fidei; sed ex illis procedit ad aliquid ostendendum, sicut apostolus* 1. Cor. XV. *ex resurrectione* CHRISTI *argumentatur ad resurrectionem communem probandam.*

II. Hoc modo patet, quomodo, dum etiam usus logicæ in theologia conceditur, neutiquam tamen rationi judicium committi videatur de mysteriis fidei. Est theologia in se spectata supra omnem scientiam humanam: habet etiam principium suum singulare & unicum, in quod rationi humanæ judicium competere nequit. Tractat de rebus multo sublimioribus, quam ut logica de illis arbitrari queat. Nihilominus debet illa opportune hanc ceu ancillam, quidquid hodie demum philosophi obstrepant, cum e re sua sit, in ministerium advocare; sed ancilla nec affectare dominium, nec de quæstionibus theologicis judicare ausit. Has leges periti logicæ præscri- Et qualem.

bunt in sacrarium theologicum aditum molienti.

Moderatione opus est in usu logices.

III. Moderatione hic summa opus, ne iis irretiamur laqueis, atque in scopulos impingamus, a quibus sibi non satis cavisse multos, superius indicavimus. Non solum mihi de illis est sermo, qui hujus artis perverso usu in barathrum errorum inciderunt, ut hinc jam olim LOGICUS patriarcha hæreticorum sit nominatus a TERTULLIANO, semperque hæretici dialecticis versutiis, & sophistica arte usi sint, ad evertendam veram catholicam doctrinam, & circumveniendos simplices. Solum mihi sermo est de dialecticis contentionibus, & subtilium disputationum tricis & ambagibus, a quibus multi orthodoxi theologi non satis immunes se præstiterunt: ut calumniandi locus sit datus, fœdatam esse theologiam, atque pristina gravitate, & majestate amissa in sophisticam degenerasse versutiam. Illud GELLIANUM (a) non solum cuivis pro canone, sed etiam pro deplorandæ experientiæ documento servire potest. *Huic studio*, inquit l. 16. c. 8. *si modum non feceris, periculum non mediocre erit, ne ut plerique alii, tu quo-*

(a) Adversus eos, qui dicunt ita accipienda &c. Confut. P. IX. T. II. p. 571. B.

quoque in illis dialecticæ gyris, atque mæandris, tanquam apud sirenios scopulos, consenescas.

IV. Duo hic adversi scopuli vitandi sunt, cum utrinque homines in eos impegisse cernamus. Primum genus eorum est, contra quos auctor inter opera ATHANASII agit, *qui*, inquit ille, *omnia, quæ ad homines attinent, evertere contenderent, ac satagerent, ut homines non ultra rationales essent.* Qui scilicet omnino nihil disquisitioni dabant. Alter eorum est scopulus, qui nihil in theologia transigendum putant, sine ratiociniorum, ac syllogismorum nodis. Multam partem eruditionis theologicæ conficit simplex & plana doctrinæ enarratio. Quare recte is mihi usum logicæ in theologia constituisse videtur, qui non solum AJACES aut ACHILLES cum verbi divini catapultis, sed NESTORES etiam adjungendos, addendosque ULYSSES est ratus, ut non tantum ferro spiritus vincamus hostes, sed & ingenio, quod suis suadere solebat PERICLES: ACHILLIS arma non AJAX, sed ULYSSES reportavit; de quo Poeta: *Fortisque viri tulit arma disertus.* Optimam hic regulam GREGORIUS *Naz.* tradit

Extrema vitanda in usu logices.

orat. de modestia in disput. *Non omnibus, nec semper, nec omnia de DEO philosophari conceditur, sed est, quibus, & quando, & quantum.*

Disputationibus non indulgendum dum prima artium sumuntur principia.

V. Præsertim in accessoriis non tam acriter disceptandum: nec etiam disputationibus ante nos ingerere debemus, quam principia probe intellexerimus, antequam fundamenta veræ sanæque theologiæ posuerimus. Quare mihi semper visum, si etiam scholasticæ velitationes utiles forent, & proficuæ, tamen oneranda illis non esse tironum ingenia, nec iis dicandum illud tempus, quo prima artis principia hauriuntur, traduntur que.

Nec omnia in velle debemus decidere.

VI. Nec omnia intelligentia nostra pervadere velle debemus, atque de omnibus non solum sententiam dicere, & tota arte logica, omnique ingenii contentione defendere. Quare eruditissimis quibusdam nominatim illust. HUETIO eæ præ ceteris philosophorum disciplinæ christianismo convenire visæ sunt, quæ assensiones animi cohibendas esse decernunt, utique illis tantum in rebus, quibus ea nihil infidelitatis, incredulitatisque maculæ inurit. Fateor tamen doctissimum virum hic ultra limites

mites prolapsum in opere posthumo de imbecillitate intellectus humani. In hanc rem est insignis AUGUSTINI (a) doctrina eo ipso in loco, quo contra academicos agit: *accipiendum inde*, inquit, *quod intelligitur; quod explicari non potest, relinquendum. Si autem modus in aliquibus rebus latet penitus homini, scientiam ejus non esse quærendam.*

VII. Plures eo loci sanctus Pater dat insignes præceptiones, quæ se dialecticæ debere, ne ingratus videatur, scribit. Et sane magnus & multiplex ejus est in theologia usus, ad ipsum etiam eruendum scripturæ sensum, tum ad aptas rerum definitiones, divisionesque, præsertim vero argumentationes tum nostras rite instruendas, tum dissolvendas adversariorum strophas, technasque feliciter detegendas. *Accedens*, inquit CLEMENS *Alexandr.* (b) *Græca philosophia, non veritatem facit potentiorem, sed debilem adversus eam facit sophisticam argumentationem, & propulsat dolosas adversus veritatem insidias.* Tantum vero abest, ut ea confusionem theologiæ cum philosophia faciat, ut potius præcepta det & consilia ad evitandam hanc mixtio-

Ostenditur multiplex dialecticæ usus in theologia.

(a) Lib. III. c. 13. contra Acad.
(b) Lib. I. Stromat.

tic...iem. Rationi etiam humanæ limites ponit, ne ultra principia theologica se efferat. Discretionem item principiorum rationis veræ, & falsæ ostendit; atque docet rationi arbitrium contra fidei fundamenta ineptissime tribui.

CAPUT XX.

De recto philosophiæ usu in theologia.

Est philosophiæ usus in theologia.

I. Magnis semper animorum, & opinationum diversitatibus decertatum fuit in christiano orbe, an aliquis in theologia debuerit esse philosophiæ usus. Cum hæreses inde a prima christianismi origine, plurimum ex philosophandi libidine enatæ sint, sancti Patres eloquentiæ suæ vires contra philosophiam omnes exeruerunt. Sed nihilominus illi ipsi in his ipsis errorum monstris debellandis philosophiæ arma adhibuerunt. VALENTINUM JUSTINUS, & IRENÆUS, MARCIONEM TERTULLIANUS, alii alios errores propriis confecerunt armis, ac summi quique doctores christiani, CLEMENS *Al.* EPIPHANIUS, CHRYSOSTOMUS, AUGUSTINUS, *Jo.* DAMASCENUS philosophiæ periti fuerunt. Neque enim veri-

veritates philosophicas adversari divinis, quamvis immensum excederent, sibi in animum induxerunt, sicut deinceps ad nostra usque tempora persuadere hominibus multi allaborarunt. Hanc opinionem multi viri docti nostro ævo disceptarunt tam ex catholicis, quam etiam Protestantibus: fueruntque insignes in re litteraria viri, qui causam philosophiæ in usu theologico defenderunt. Et ex sanctis Patribus etiam multi id præstiterunt: ex antiquioribus, præsertim S. CLEMENS *Alexandr.* Qui tamen necessarias semper addunt cautiones, ne divinis & præstantioribus neglectis, humanis mereque philosophicis contemplationibus indulgeatur. Quod idem faciendum fuit ab illis, qui posterioribus nostris temporibus hoc argumentum tractarunt, quando a scholasticis tantus in hac re excessus est commissus. *In quibus*, utor verbis *Jo.* GERSON epist. ad studentes collegii Navarræ, *hoc unum minus placet, quod pure physicalia, aut metaphysicalia, aut quod amplius pudet, logicalia sub terminis theologicis involuta miscuerunt.* Quod sane est confusionem artium & disciplinarum inducere, & majestatem sublimitatemque divinæ theologiæ ad exilitatem naturæ deprimere. Quare acuti quidam

optas-

optassent, ut nunquam mysteria religionis notionibus philosophicis implicata fuissent, negaruntque justam fuisse causam, receptis cœlo apostolis; ut qui postea vixerunt christiani doctores philosophiam in theologiam inferrent: quod minime fecerint scriptores sacri, primi doctrinæ christianæ præcones, qui nobis purum, defœcatumque DEI verbum dispensarint. Legi etiam meretur DU-PINII caput tertium methodi recte instituendi studium theologicum.

Caute tamen illa utamur.

II. Neque aliter fieri potuit, ut ne inter tam varia hominum studia dogmata christiana & revelata conceptibus humanis, eorum præsertim, qui sapientiæ studium profiterentur, involverentur: quod si etiam orthodoxorum voluntas tulisset, per hæreticos tamen non licuisset, qui deinde catholicis doctoribus necessitatem imposuerunt, saltem refutandi causa nosse, ac usurpare easdem notiones, & illis respondentes terminos. Nec ipsa etiam ecclesia in suis oraculis & decisionibus facile semper potuit ab his abstinere, dum contra hæreses dogmata catholica definienda fuerunt. Solum itaque superest, ut parce & caute nobis in theologia philosophandum

dum

dum esse putemus, modumque ac limites præfigamus, illius sententiæ apostoli memores (a) *Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum CHRISTUM.* Memores item corruptæ simus naturæ, ignorantiæ & cæcitatis nostræ, non in divinis tantum, verum etiam humanis rebus: ut hinc etiam de philosophia, quocunque sapientiæ excelsæ nomine se jactet, in hac imbecillitate non sit sperandum, ut acu semper veritatem tangat, & nunquam vitium innatæ depravationis experiatur. a

III. Sæpe ratio decipiet, & idcirco illud apud nos prudens efficiet judicium, ut non admodum illius confidamus dictatis, ac principiis. Quæ si quo modo connexa sint cum veritatibus divinis, ad harum normam, decreta accommodanda sunt, quidquid obmurmuret ratio, quidquid sapientia hujus sæculi contra moliatur, ac philosophi hujus mundi contra dicant. Quo enim superior theologia, eo minus philosophia in illam arbitrium arroget, eoque parcius se negotiis ejus misceat. Neque unquam sibi pronunciandum de mysteriis ducet: nec sua argu-

Eam accomodare dogmatis debemus non magisterium, illi concedere.

(a) Coloss. II. 8.

gumenta, ut propria sed extranea judicabit, ab illisque adhibendis aut omnino abstinebit, aut ἐκ περιουσίας solum addet, ut consensus luminis gratiæ cum natura appareat. Et ita quidem se geret quisque, quo plus divinæ gratiæ lumen de cæcitate naturali abstulerit; nihil enim sanæ rationi congruentius, quam superiora se non judicare.

Notiones e philosophia necessarias habet theologus.

IV. Quando autem ita comparatum est cum theologia, ut magnum numerum notionum philosophicarum sibi dicarit, illas inde repetere e re erit. (a) Exem-

(a) An vero contra Sabellianos, *inquit* PETAVIUS *Proleg. dogm. theol. c.* 5. & Arianos, & hujusmodi Trinitatis hostes catholica propugnari potuit doctrina sine limata & exquisita quarumdam rerum notitia, velut quid natura sit, quid hypostasis, persona, essentia, relatio, ac reliqua similia? Quis APOLLINAREM, NESTORIUM, & EUTYCHEN, ac multiplicem illius sectæ hydram perdomare posset, nisi iisdem in disputationibus probe, luculenterque versatus? Ecce postea Græci homines, in ARISTOTELIS palæstra multum exercitati de personarum divinarum processione litigare cœperunt, ut Spiritum sanctum solo ex Patre ortum esse dicerent. Nonne de principii unitate, quod eorum præcipuum est firmamentum, quæri a nobis, ac disputari debuit, si illis repugnare vellemus.

Exempla complura adferri possent, cum sit prope innumerabilis copia harum notionum, quibus maxima etiam religionis nostræ mysteria & capita doctrinæ christianæ singula tanquam in axe quodam vergunt, ut adeo exquisite & distincte de his rebus disserere ac θεολογεῖν vix liceat, nisi accuratam omnium eorum terminorum notitiam habeas, quos theologia ex philosophia assumit, qui proin ex philosophia explicari, & intelligi debent. Dummodo philosophia non nimium sibi hic arroget, & res naturæ ignotas, aut certe valde sublimes & obscuras facile explicandas sumat. Quandoquidem magna est naturalium rerum pars, quarum essentias parum notas habeamus, nedum divina penetremus.

Usus philosophiæ, quando dogmati accedit terminus unus naturalis.

V. Atqui hoc ipsum id est, quod difficultatem maximam ingerit in illis etiam dogmatis explicandis, asserendisque, quæ duplici termino naturali, & supernaturali constant: ut enim nihil dicam de termino supernaturali, si nec de naturali inter disputantes conveniat, imo si plerasque rerum intimas naturas, & essentias ignoremus, quomodo de iis judicabimus, si præter obscuritatem naturalem accedat sublimitas mysterii? Res patet vel in uno Eucharistiæ sacra-

mento ex contentionibus, quæ non ſolum Catholicos cum Proteſtantibus, verum etiam Proteſtantes inter ſe diſciderunt, in varias opiniones factionesque. Petit natura judicium de corpore, Calviniſtæ hinc etiam de corpore CHRISTI judicium ſumunt, Lutherani negant, Catholici arcem veritatis tuentes, nec rem contra naturam credunt, nec ſupra naturam inquirunt, & quantum licet, dogmate de tranſubſtantiatione explicant. Sed tamen nec in iſtis licet theologum philoſophiæ eſſe rudem, ut ſciat ea, quæ adverſarii argumenta afferunt, ſolvere & confutare, quod minus promptum ei erit præſtare, qui in philoſophicis diſciplinis non fuerit exercitatus. Maxime autem hoc opus eſt, quando contradictionem in myſteriis urgent, ac conantur fidem cum ratione committere, ac ſi invicem contrarientur, cujus inſimulationis falſitas ſemper oſtendi poteſt: ad id vero opus eſt philoſophia.

Multiplex philoſophiæ uſus in theologia.

VI. Univerſim autem exiſtit uſus philoſophiæ in theologia non unus. *Philoſophia*, inquit MABILLONIUS (a) *inſpecta rei veritate, plurimum valet, nedum ad ratiocinandum, ac judicandum, verum & ad rerum univerſales ideas habendas, mora-*

(a) Tract. de ſtud. mon. P. II. c. 9.

moralem facultatem addiſcendam, & ad fidem orthodoxam propugnandam adverſus paralogiſmos, & captioſas ſophiſtarum argumentationes. PETAVIUS theologus ſummus, quique ſi unus, rectam tradendi theologiam rationem iniit, triplicem philoſophiæ in theologia uſum nobis exponit, vel ad ornandam, vel ad tuendam, vel ad formandam divinarum rerum ſcientiam. Neque licet dubitare theologiam ex complexione omnium doctrinarum, quarum maxima pars ambitu philoſophiæ continetur, novum accepiſſe ornatum, validumque præſidium ad retundendos hæreticos, & exarmandos omnes fidei, & ſanæ doctrinæ hoſtes.

VII. Maxime autem uſui eſt in theologia ſcholaſtica, qus potiſſimum philoſophiam in conſortium adſcivit, qua de re ſciſcit JOANNES *Dun Scotus* (a): *Magiſtros ſcholarum philoſophiam cum theologia maximo cum fructu miſcuiſſe.* Quidquid ſit, poſt hanc conſociationem non modo utilem, ſed etiam neceſſariam eſſe philoſophiam theologiæ conſtat: imo hoc dici poteſt de omni illo tempore, ex quo theologia a philoſophis tractata, cujus rei primordia a primis eccleſiæ ſæculis

Nunc maxime neceſſarius.

a

L 2

(a) Lib. III. ſentent. diſt. 24. q. 1.

culis est repetenda. Et ut usui philosophiæ in theologia adhuc amplius faveamus, dicere possumus, magnis viris, ac imprimis AUGUSTINO, auctoribus, ad sacræ scripturæ intelligentiam plenam, & perfectam necessarium esse philosophiæ studium. Quamvis enim hæc necessitas tanta non sit, nec etiam usus, quam nunc est, ex quo tempore omnes theologorum ordines, quotquot aut olim aut nunc sunt per christianum orbem sparsi, in id summo consensu conspirarunt, ut philosophica theologicis substernerent: ut adeo, plane sine alis, quod dici solet, volare instituat, qui sine philosophiæ subsidio theologorum tractatus se intellecturum confidit. Ipsa scriptura sine omni humana additione multarum rerum notitiam includit, quæ ex philosophia peti debeat. Quare
a D. AUGUSTINI (a) hic monitum sequi debemus: *Qui*, ait, *philosophi vocantur, si qua vera & fidei accommoda dixerunt, ab eis tanquam ab injustis possessoribus in usum nostrum vindicanda sunt.*

Quænam singularum partium philosophiæ sit utilitas?

VIII. Quamvis vero omnes philosophiæ partes usum in theologia etiam sanissima, & tota in explicando, asserendo, illustrandoque verbo divino occupata, utilitatemque præstent, non

æque

(a) Lib. II. de doct. christ. c. 39.

æque tamen omnes necessariæ sunt. De dialectica mentem nostram superius jam exposuimus,&plura dicemus *de ratione exercitiorum scholasticorum:* quæ ad omnem theologicam disquisitionem adhibetur. Ipsæ etiam scripturæ sacræ,cum ubique ratiocinia includant, logicam requirunt. Nec alias disciplinas philosophicas, quæ vel res vel mores tractant,respuit. In moralibus enim patebit doctrinam christianam principiis juris naturalis in omnibus convenire, & veræ rectæque rationis dictaminibus optime congruere. Quod physicam spectat, verum quidem est, naturam mysteriorum plerumque supra naturam nostram se extollere. Alia in cœlestibus rerum facies, alia & inexplicabilis incolarum ratio; atque ejusmodi etiam principia rerum, in quorum cognitione assequenda physica nostra parum proficit; & plerumque disputationes, quæ de his rebus in scholis vigent, potius philosophicæ sunt dicendæ, quam theologicæ. Cum enim volunt rerum cœlestium comparationes, & paradigmata in terrenis quærere, atque id aliunde, quam in verbo DEI quærunt, accidit, ut de cœlestibus terreno & naturali, hoc est philosophico modo, conjiciant. Nihil tamen vetat, quo minus theologus quan-

doque a rebus corporeis ad incorporeas, a natura ad auctorem naturæ contemplatione ascendere possit, sed hic summa moderatione opus est. Illustrationis, & explicationis causâ major est usus physices tum in scripturis ac omni theologia. Quamvis scriptura se in his rebus potius opinionibus vulgaribus quandoque accommodasse videatur, quam naturæ penitiora arcana reserasse.

Præsertim metaphysicæ.

IX. De metaphysica nihil est fere, quod addam. Theologia inde potissimum notiones suas haurit, de quarum usu jam diximus. Illud solum adhuc notandum, primos religionis nostræ fontes, primosque præcones conceptus hujusmodi non sibi usurpandos duxisse. Non reperias apud eos metaphysicas finitiones rerum, non ratas de substantia accidente, natura, hypostasi &c. sententias. Imo nec fides popularis, quæ tamen idcirco minus pura non est, hæc habet, ut adeo pateat ad ipsam eorum etiam dogmatum medullam, & essentiam non spectare has technicas voces, quæ maxime sunt ejusmodi vocibus implicata. Quare si quando contingeret illis mysteria evolvi, aut si cum iis res sit, qui his conceptibus assueti non sint, sine illis ipsâ doctrina tradi queat. Et sane consul-

tum

tum ſit, quantum licet omnia nativis depingere coloribus, eoque potius uti ſermone, quo uſi ſunt, qui organa, & inſtrumenta Spiritus S. fuerunt, quam philoſophorum & ſapientum hujus ſæculi: cum vera μεταφυσικὰ ſint ipſa ad nos divinitus delata, naturam omnem excedentia, arcana verba.

CAPUT XXI.

Quomodo reliqua ſcholaſtices vitia recto theologiæ ſtudio corrigenda.

πολυμαθίας theologo ratio habenda, & ſtudii rei literariæ.

I. Via ac ratio illud ſcholaſticorum vitium emendandi, quod neglectu artium, & eruditionis ad theologum formandum neceſſario committunt, hæc eſt, ut theologi πολυμαθίας rationem habeant, ſine qua hodie cumprimis in nulla ſcientia ſe doctorem quis exhibere valet, maxime in theologiæ ampliſſimo campo. Juvabit in hanc rem inſtitutionibus litterariis ſtudii theologici operam ſedulo dare. Ex ea non ſolum de ſubſidiis neceſſariis ad perfectum theologum edoceberis; ſed etiam digito demonſtrabitur, unde omnem ſuppellectilem theologicam haurias. Obſervarunt eruditi ſuperioribus

sæculis, quibus studium historiæ litterariæ friguit, ut philosophi suum ARISTOTELEM, jurisconsulti BARTOLUM; ita etiam theologos ovium ritu THOMAM suum esse secutos: perculta historia litteraria non solum philosophos, sed etiam jure consultos, historicos, medicos, philologos, imo & theologos factos esse eclecticos, & ex solido eruditos.

De scientiis ad formandum theologum necessariis.

II. Quatenus ad scientiarum debite explendo theologi muneri necessariarum, proficuarumque neglectum resarciendum attinet, multa jam suo loco sunt accumulate dicta. Multi etiam, qui de ratione studii theologici scripserunt, de hac re necessarias præceptiones dederunt, ostenderuntque, ipsam poeticam, & artes mathematicas fere omnes usum in theologia habere, nec ipsa exclusa musice. Præstitit hoc inter cæteros LAURENTIUS *a Villa Vincentio*, qui *Andreæ* HYPERII de recte formando studio theologiæ libros expurgavit, usuique Catholicorum accommodavit. Et nos etiam, hanc rem tractavimus in apparatu ad eruditionem theologicam.

Theologi ne uni addicti magistro & syste-

III. Tandem venimus ad illud scholastices vitium declinandum, quo uni alicui, ac soli addicti duci cæteros omnes sper-

spernunt, certo systemati mordicus inhærent, sicque amplificandæ scientiæ omnem spem præcidunt. Hic fontium theologicorum studium omne feret momentum, de quo alias jam est dictum. Solummodo ex CARBONE (a) scholastico sæpius citato theologum sui officii commonefaciam: *Theologica scientia*, inquit ille, *complectitur cognitionem, & intelligentiam sacrarum litterarum; deinde cognitionem dogmatum fidei, quo pertinet notitia decretorum pontificum, conciliorum, & sacrorum canonum; præterea cognitionem traditionum, rituum consuetudinumque ecclesiæ, & doctrinæ Patrum, quo ecclesiasticarum historiarum notitia reducitur; postremo cognitionem casuum conscientiæ. Verum cum pauci sint, qui hæc omnia cognoscant, pauci etiam sunt perfecti theologi.* Tum maxime autem sanctorum Patrum studium, quemadmodum a theologo suscipiendum, & cum theologia methodica conjunctum theologum efficiat nobis edisserit. Observat volenti bonum theologum evadere, maxime expedire, versari in scholasticorum classibus, & scriptis, quæ prius audiendo, & legendo percurrenda sint, quam ad Patrum lectionem deveniatur: quorum doctrinam non satis bene is intelliget, nec ex ea

mati, augmentum theologiæ impediant.

a

(a) Intr. Eccl. L. I. c. 7.

multum utilitatis percipiet; imo ni maxima cum pietate eorum libros lectitaverit, facile errabit, qui scripta systematica in quibus brevius, planius, certius, quæ sunt religioni consectanea, quam in ulla privato antiquo scriptore continentur, quasi pro regula non habuerit: cum systematici theologi ab omnibus, quod est veritati confinius, atque conformius, acceperint, & quod minus probabile, ac tutum, rejecerint. Et hinc est, quod multi errarint, qui res divinas cognoscere, atque tractare volentes ad Patrum lectionem statim convolarunt, & cum regulis scholasticis carerent, perperam sanctorum Patrum dicta intellexerunt. Adeundi igitur, atque audiendi hi prius sunt: deinde Patres toto vitæ tempore volvendi: quod qui faciet, bonus evadet theologus.

Præcepta quædam ad selectum quæstionum & materiarum.

IV. Ex sanctis Patribus, aliisque promtuariis eruditionis & doctrinæ veræ theologicæ selectum & modum disquisitionum theologicarum repetere debemus, nec velle minutissima quæque prosequi, atque tam multa definire, quæ excutere aliquando curiositatis, aliquando etiam temeritatis sit. Sed quando nobis fontes nostri theologici nihil satis distinctum & exploratum tradunt, non debemus sen-

ten-

tentiam noſtram præcipitare: potiusque ſapientem ἐποχὴν amplecti. Alia etiam quæ nil niſi ſubtilitatem quandam ſpirant, & ſine diſpendio ſalutis, aut aliqua utilitate ignorantur, etiam in medio relinquamus. Neque unquam in rebus problematicis tam pervicaciter ſuſcepta ſemel hæreamus opinione, ut inde nulla arte, & ratione dimoveri nos patiamur. Quæ res ſtudia partium, & ſectas in theologia generavit. Unde factum, ut neceſſariis relictis, in his ſolum ſtudium theologicum conſummaretur.

V. Quod depravationes alias, in cœtum chriſtianum ex perverſo theologiæ ſtudio promanantes, attinet, cum paulo poſt dicendi occaſio de illis commodis ſit futura, quæ in cœtum chriſtianum ex recto conſtituto theologico ſtudio deſcendent, unum hoc modo commemoro, ac repeto, omnibus morum corruptelis (quamcunque originem habeant ſive ex depravata doctrina, ſive ex perverſo modo tractandi, docendi, diſcendique proveniant) unicum ac præſentiſſimum eſſe remedium veram eruditionem theologicam, præſertim quæ ex ſtudio fontium theologicorum hauritur. Neque enim alii cauſæ perſpicaces quivis corruptelas theologiæ

Quomodo depravationes morales cavendæ in ſcholaſtica.

logiæ

logiæ omnes præſertim morales, attribuunt, quam neglectui ſacræ ſcripturæ, ſanctorum Patrum, conſtitutionum ac decretorum Pontificum, canonum conciliorum: quodque multi theologi acumen rationis ſuæ ad eludendas leges cum divinas, tum eccleſiaſticas, impenderint. *Tamdiu pura*, inquit GRAVESON (a), *ſancta, illibata, vereque chriſtiana fuit morum diſciplina, quamdiu e ſuis fontibus, videlicet ſcriptura ſacra, Patrum traditione, conciliorum canonibus, & ſummorum Pontificum definitionibus derivata eſt. At ex quo relictis illis fontibus ex ratione pure humana derivata eſt, atque hinc aliena eſſe cæpit ab evangelica ſimplicitate, ſanctorumque Patrum doctrina, ſenſim ſine ſenſu a primæva illa puritate atque ſanctitate degeneravit.* Iidem etiam fontes theologici non ſolum præceptis & monitis docebunt ſtudium theologicum exercitiis potius veræ pietatis, & virtutis, quam contentionibus & rixis diſputationum colere; verum etiam ſua amplitudine & diffuſione cogent paſcere potius animum jugibus lectionibus, meditationibusque, quam exercere ingenium multis diſceptationibus. *Vid. S. BERN. ſerm. XXXVI. in Cant.*

VI. At-

(a) Diſſert. de vera methodo docendi &c. theolog. moralem.

VI. Atque hoc modo corruptelæ omnes in cœtu christiano cessabunt: præsertim si prima institutio theologica rite fiat. Neque tunc adversariis studiorum nostrorum præsertim monasticorum causa erit carpendi sedulam, ac in monasteriis laboris vicem subeuntem in studiis operam: ac si præsertim philosophicæ & theologicæ scientiæ juxta methodum, qua nunc in scholis communiter traduntur, non nisi curiositatem, dissipationem, cavillationesque exhibeant. Sane mihi dubium non est, recte institutum studium non solum integris monachorum congregationibus decori esse, verum etiam ubi studia florent, disciplinam monasticam pietatemque florere. *Quique studiis incumbunt*, utor MABILLONII verbis (a), *ceteris humiliores, disciplinæ observantiores, & secessus magis amantes esse. Ad summum ergo quidquid mali deprehendi potest, a studiis communibus ortum ducet, quæ in philosophicis, & theologicis cursibus peraguntur.*

Ac studia rite instituenda præsertim in monasteriis.

VII. Hæc, quæ sunt principalia, & in quibus cardo rei vertitur, quippe quæ, quem maxime desideramus, formant theologum, aut male effictum emen-

Momenta ad perficiendum theologum plurima, non proletarie tractanda.

(a) In respons. ad D. Abb. de Trap. c. 27.

mendant, paucis quidem pro rei dignitate ſunt perſtricta. Omnia (utpote de quorum utilitate & neceſſitate nullum dubium moveri poterat) ſeipſa commendant, ut nihil ambagibus verborum indigerent. Quodſi vero rei ſummam quis ſibi ob oculos poſuerit, & perſpexerit, non diffitebitur, quæ dici legique potuerunt breviſſimo temporis momento, ad ea ut fiant, & in opus redigantur, complures annos non ſuffecturos. Imprimis enim puri, & emendati ſermonis efformatio non eſt res adeo facilis, ut forte videri queat. Lectio multa, exercitatio, & emendatio jugis rem tandem conficient. Nec omnium, quæ in linguis intelligimus, eorum etiam ad differendum, ſcribendumque præſentem uſum habemus. Deinde ad quæſtiones eas, quæ de nomine ab iis, quæ de rebus vere fiunt dijudicandas, aut eas etiam, quæ utiliter, quæ vero minus proficue tractantur, inter ſe diſcernendas, quam longo uſu, & experientia, ne quid de perſpicacia, judiciique acrimonia rurſus dicam, opus eſt, ut æquos nos harum rerum judices præſtemus; nihil temere, inconſiderate, aut injuſte decernamus, nec in rerum ſelectione peccemus unquam. Rationis humanæ, quæ, & quot ſint deli-

quia,

quia, quantis ſit expoſita labendi periculis, in qualia deliramenta eam incidere ſit pronum, ſi aliunde nobis ex miſerrimi ſtatus noſtri poſt lapſum conditione non conſtaret, exemplo eorum erudiemur, qui in hac ipſa ſanctiſſima diſciplina, dum ſibi nimium indulſerunt, genii humani protervitatem, & petulantiam ſatis ſunt experti. Illa autem ſubſidia a theologo ex humanis litteris, variisque ſcientiis repetenda cum ſint varia & perampla, multum etiam laboris, multum induſtriæ, & aſſiduitatis flagitant. In linguis peregrinitas, maxima anomaliarum abundantia undique per omnem ſermonem ſparſarum; illa idiotiſmorum cujusvis linguæ peculiarium varietas, & multiplicitas quantos ſudores excutiunt, quantas obſcuritates involvunt? A criticorum complurium licentia ſatis ſibi cavere, antiquariorum fidelitatem, hiſtoricorum ſinceritatem vere conjicere; chronologiæ confuſione non turbari, quantæ ſolertiæ & ſagacitatis eſt, quantæve induſtriæ, & ſedulitatis? Iſtæc tamen theologiæ ratio, ſemel pervia effecta, & complanata, omnes ad ſe alliciet; ſuaque jucunditate, uberrima fructuum oſtentatione, ſuæ demum dignitatis, & majeſtatis ſpecie trahit, rapitque: omnium ingenia paſcit,

ſcit, omnes denique omnium animos ineſcat, demulcetque.

CAPUT XXII.

Ex ſuperioribus recta veræ theologiæ ratio deſcribitur & adumbratur.

Officia & munia theologi junctim & ſeparatim ſpectata.

I. Quis vero ſatis deprædicet inſignem theologiæ formam, qualis futura eſt, illis nævis purgata, illis ornamentis inſtructa, quæ mox ad ejus decorem deſideravimus. Qua ratione recte habebitur pro accurata, & perfecta, qualis in hac vita eſſe poteſt, rerum divinarum cognitione non ſolum mentis, ſed etiam cordis. Imprimis enim cavebitur funeſtum illud diſcidium, quo theologiæ partes & capita a ſe invicem ſeparatæ robur illius & plenitudinem perdiderunt, dum veluti ſcopæ diſſolutæ omnia fuerunt exhibita. Talis eſt autem theologus formandus, qui non ſolum principia omnia, qua late patent perſpecta habeat, & in numerato; ſed qui etiam ratione, quod conſequens eſt, deducere, & concludere valeat: qui obſcura in lucem claram adducere, involuta explicare, & aperire, in controverſiam vocata & diſceptata tueri contra objecta ac undi-

undique tuta, aſſertaque præſtare queat. *Sic*, ait, quisquis eſt auctor, *confutationis quarundam propoſ.* &c. (a) *adverſariis quoque, aut de veritate perſuadebimus, aut victoriam reportabimus: ſic ſcripturæ ſanctæ concordiam oſtendemus: ſic myſterii gloriam legitime prædicabimus: ſic congruentem fidei certitudinem in animabus noſtris recondemus, nec ſine verbo credentes, nec ſine fide loquentes.* Quare ante omnia notatum, maximeque obſervatum volo: utut ad principale objectum theologiæ doctor cumprimis attendere debeat; tamen partes theologicas non ita poſſe diſpeſci ac ſeparari, ut non mutuas ſibi invicem ferant ſuppetias, neceſſumque ſit theologo in omnibus occupari. *Videatur* POSSEVINUS *Bibl. ſelectæ L. III. c.* 10.

Ea a quovis theologo ſingula implenda, nec theologia in partes ſecanda.

II. Neutiquam perfectos nos theologos eſſe putemus, niſi ſingula munia præſtemus; præſtare autem id non poterimus, ſi theologiæ officia ſeparemus. Si putemus ita nos SCHOLASTICOS eſſe debere, ut DOGMATICA ſeu POSITIVA, POLEMICA nos nihil attineant, aut MYSTICA, aut etiam (quæ cum his maxime conjuncta) MORALIA. Huic enim divortio puto labem maximam theologiæ deberi. Separationi quidem

M

(a) Inter opera ATHAN. T. II. p. 582. F.

dem poſitivæ a ſcholaſtica corruptiones theologiæ theoreticæ ſeu ſpeculativæ; ſeparationi moralis a myſtica corruptiones theologiæ practicæ tribuimus, ubi mores chriſtiani ſejuncti a virtutibus chriſtianis fuerunt. Jam olim *Jo.* GERSON (a) talem theologiæ candidato doctorem optavit, qui omnes theologiæ partes noverit explere. *Qui*, inquit, *longo multoque vivendi, legendi, ac bene vivendi exercitio docere faciliter poſſit, quam amplecti doctrinam interrogantis ſtudium, moresque deſiderent, ſive pro parte illa theologiæ, quæ inter ſcholaſticos magis utitur; ſive pro illa, quæ legentis mores ædificet, regulet, & componat; ſive pro illa, quæ prædicantibus congruit. Hæc autem tria ſunt non uſquequaque diſparata, in quibus quotidie, etſi non æqualiter, tamen viciſſim deberet verus theologiæ diſcipulus exerceri, quorum primum ſine ſecundo inflat, & inquietat; ſecundum ſine primo acumen ingenii ſufficiens & reſolutum non præſtat; tertium denique ſine duobus reliquis ſæpe non tam erudit alios, quam faſtidit & præcipitat.* Adi hunc auctorem, qui deinceps diverſa ſubſidia indicat ad has ſingulas theologiæ partes & munia.

III. Il-

(a) Epiſtola ad ſtudentes collegii Navarræ.

III. Illud vero ante omnia ſpectandum, curandumque, ne praxin a theoria τὸ ἠθικὸν, ἀπὸ τῦ δογματικῦ ſeparemus. Cum enim finis omnis theologiæ huc collimare debeat, ut quem cognoſcimus DEUM ac Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, rite colamus, ac diligamus, omnia noſtra ad hunc ſcopum dirigere ac referre debemus ſtudia. *Eſt quidem*, inquit S. BERNARDUS, (a) *per ſe omnis ſcientia bona, quæ tamen veritate ſubnixa ſit: ſed quia tempus breve eſt, tu qui cum timore, & tremore tuam ipſius operari ſalutem pro temporis brevitate feſtinas, ea ſcire prius & amplius curato, quæ ſenſeris viciniora ſaluti.* In illis ergo, contra ac vulgo fit, magis occupari theologus debet, quæ ad mores formandos, pietatemque inſtillandam conducunt. Neque exiſtimandum eſt, eſſe ullum dogma, ullam theoriam, ſi nitatur principiis revelatis, atque ex verbo divino ſit hauſta, quæ non huc faciat. Unica enim ratio & cauſa inſtitutæ religionis, atque ad nos delati verbi divini eſt ſanctificatio noſtra. Spirant hoc, ac produnt ſinguli ſacræ ſcripturæ apices, in hoc unice intentæ, ut in nobis devotionis, pietatisque igniculos accendant, ſanctitatis vero perfectam formam

Officia pietatis nunquam a theologicis dogmatibus ſejungenda.

M 2

(a) Serm. 36. in Cant.

mam præſcribant. Neque ad hoc ſolum morum præcepta pertinent, ſed etiam dogmata, & myſteria omnia, quæ omnia ſic facta ſunt, nobisque prodita, ut ſi rite ea contemplemur, inde mirifice ad colendum, adorandum, amandumque DEUM afficiamur. Semper enim ita DEUS, resque divinæ deſcribuntur, prout erga nos ſunt, nobisque ſalutares, aut prout nobis viam demonſtrant, lucemque præbent ad DEI cultum. Hinc S. JOANNES eum mendacem vocat, qui dicit ſe noſſe DEUM, & mandata ejus non ſervat. Theologus itaque in hoc omnem operam conſumet, ut vinculum cujusque dogmatis cum praxi pietatis, & regula morum perpetuo ſervet: ſicque theologiam ſuam efficiat ad præſcriptum apoſtoli TITO datum primis ſtatim epiſtolæ verbis, *agnitionem veritatis, quæ ſecundum pietatem eſt, in ſpem vitæ æternæ.*

Haud minus cavendum divortium ſcholaſticæ ac poſitivæ theologiæ.

IV. Secundum hoc divortium in theologia, praxis nimirum a theoria, alterum cavendum eſt, poſitivæ nimirum theologiæ a ſcholaſtica. Intelligo autem ſcholaſticam nativam, ſanam & integram, prout a nobis in ſuperioribus adumbrata eſt: poſitivam autem eam intelligo, quæ tota occupetur circa locos, & fontes vere theologicos ad ſa-

cræ

cræ ſcripturæ & doctrinæ ſanctorum Patrum ductum, ad hiſtoriæ, diſciplinæ eccleſiaſticæ, omniſque antiquitatis chriſtianæ rationem, & veritatem exculta. Hanc multi a diſciplina ſcholaſtica avulſerunt, theologiamque elumbem tradiderunt, atque inermem contra inſultus hæreticorum: adverſus quos tela, & præſidia ſunt petenda ex principiis poſitivis ſacrarum ſcripturarum, traditionum antiquarum, doctrinæ inde ab apoſtolis in eccleſia adultæ in conciliis, ſanctorum Patrum ſcriptis, hiſtoria, traditæ. Neque enim aliis aliiſque principiis niti queat eadem, atque uniusmodi ſcientia, theologia nimirum chriſtiana. Patet hinc abſurditas ſecernendi, diſtinguendique poſitivam a ſcholaſtica. Niſi unicum illud diſcrimen ſtatuere velis in modo, & ratione tradendi easdem omnino res, ac tractandi easdem materias ſecundum eadem principia: cum ſecus ſcholaſtica debito fundamento careret; & bene tamen ob majorem vim & ἀκρίβειαν adoptet poſitiva, quod in modo procedendi præſertim contra adverſantes quoſque accuratiore, peculiare habet ſcholaſtica. Sicque ambæ intime ſibi jungantur, & in unam copulentur diſciplinam. (a)

M 3 V. Hoc

(a) *De hoc connubio præclara docuit ſingulari diſſer-*

mam præſcribant. Neque ad hoc ſolum morum præcepta pertinent, ſed etiam dogmata, & myſteria omnia, quæ omnia ſic facta ſunt, nobisque prodita, ut ſi rite ea contemplemur, inde mirifice ad colendum, adorandum, amandumque DEUM afficiamur. Semper enim ita DEUS, resque divinæ deſcribuntur, prout erga nos ſunt, nobisque ſalutares, aut prout nobis viam demonſtrant, lucemque præbent ad DEI cultum. Hinc S. JOANNES eum mendacem vocat, qui dicit ſe noſſe DEUM, & mandata ejus non ſervat. Theologus itaque in hoc omnem operam conſumet, ut vinculum cujusque dogmatis cum praxi pietatis, & regula morum perpetuo ſervet: ſicque theologiam ſuam efficiat ad præſcriptum apoſtoli TITO datum primis ſuæ epiſtolæ verbis, *agnitionem veritatis, quæ ſecundum pietatem eſt, in ſpem vitæ æternæ.*

[illegible]

IV. Secundum hoc diverſum [illegible]

cræ scripturæ & [illegible] trum ductum, ad [illegible] clesiasticæ, [illegible] stianæ rationem, & [illegible] Hanc multi a disciplina [illegible] runt, theologiam[illegible] runt, atque [illegible] reticorum: adversus quos tela, & præsidia sunt petenda ex [illegible] sacrarum scripturarum, [illegible] tiquarum, doctrinæ [illegible] in ecclesia adultæ in conciliis, [illegible] rum Patrum scriptis, [illegible] Neque enim aliis [illegible] ti queat eadem, atque [illegible] tia, theologia [illegible] tet hinc absurditas [illegible] guendique positivam a [illegible] si unicum illud [illegible] in modo, & [illegible] omnino res, ac [illegible] terias secundum [illegible] secus scholastica [illegible] reret; & bene [illegible] vim & [illegible] quod in modo procedendi [illegible] contra adversantes [illegible] peculiare habet scholastica [illegible] intime sibi jungantur [illegible] disciplinam. (a) [illegible] V. Hoc

(a) *De hac [illegible] docuit singulari disser-*

Theologia ſcholaſtica nomen non tuetur theologiæ ſine principiis poſitivis.

V. Hoc itaque modo de ſcholaſtica judicare debemus, eam ſi theologiæ veræ chriſtianæ nomen tueri velit, non poſſe aliis quam poſitivis niti principiis, nec aliis oportere pugnare argumentis, quam quæ ex locis vere theologicis petantur, præſertim ſcriptura ſacra. Quodſi qui viri docti theologi ſcholaſticam commendarunt, & contra obtrectatores defenderunt, talem de ea ideam mente conceptam habuerunt.

Sed

diſſertatione doctiſſimus AMAT de Graveſon *ubi inter alia hæc paulo a principio ſcribit :* Sicut theologia ſcholaſtica ſua tela, ſeu argumenta, quibus impetit fidei hoſtes, mutuatur ex theologia poſitiva, ita ut theologo ſcholaſtico, qui ope, ac præſidio theologiæ poſitivæ plane deſtitutus eſt, nulla fere ſuppetant tela, ſeu argumenta, queis fidei hoſtes invadere, ac ferire poſſit; ita theologia poſitiva haurit a theologia ſcholaſtica modum & artem hæc argumenta in fidei hoſtes intorquendi, eorumque præſtigias, contorta, & aculeata ſophiſmata diſſolvendi, adeo ut theologiæ poſitivæ cultor, quantumvis eximius, ſi in theologia ſcholaſtica hoſpes, ac peregrinus ſit, nunquam poſſit cum dexteritate & facilitate ea tractare arma, ſeu argumenta, quæ contra hæreticos ei abunde ſubminiſtrat theologia poſitiva, nec etiam diſſolvere & extricare valeat ſophiſticas hæreticorum argumentationes. *Et non ita multo poſt :* Theologia ſcholaſtica, *inquit*, cujus originem ad ſeculum

lum

Sed in omni oratione, inquit CANUS (a) *memento, lector, eam me defendere ſcholæ doctrinam, quæ ſacrarum litterarum fundamentis conſtituta eſt. Ex quo id efficitur, quod ego magno cum aſſenſu omnium dicere me video, miſeram eſſe ſcholæ doctrinam, quæ ſe titulis magiſterii defendat; miſeram etiam, atque haud ſcio an multo magis, quæ detracta ſcripturæ ſacræ auctoritate ſyllogiſmis contortis de rebus divinis philoſophatur; imo ne de rebus divinis quidem, ſed nec de humanis, verum de his, quæ nihil ad nos attinent.* Paulo poſt ſcholaſticum theologum ſic definit: *Quem vero intelligimus ſcholaſticum theologum? aut hoc verbum, in quo homi-*

lum octavum referendam eſſe diximus, ſi ſpectetur quantum ad ſui naturam, & eſſentiam, eadem plane eſt ſcientia, ac theologia poſitiva. Utraque enim, ſive ſcholaſtica, ſive poſitiva, verſatur circa idem objectum DEUM auctorem gratiæ per revelationem & fidem cognitum: utraque iisdem nititur principiis; utraque diſcurſiva, & argumentativa eſt, & ex iisdem fontibus, hoc eſt, ex ſcriptura ſacra, ex traditione, & doctrina ſanctorum Patrum, aliisque locis theologicis ſuas deducens concluſiones, cum hoc ſolum diſcrimine, quod theologiæ ſcholaſticæ procedendi modus ſit ſubtilior, & accuratior, & ad perplexa captioſaque fidei hoſtium diſſolvenda argumenta accomodatior.

(a) De loc. theol. Lib. VIII. c. 1.

ve ponimus? Opinor in eo, qui de DEO, rebusque divinis apte, prudenter, docte, e litteris, institutisque sacris ratiocinetur. Egregie etiam disserit in eandem sententiam DU-PINIUS capite II. method. studii theologici recte instituendi: *Solet,* inquit, *plerumque distingui inter theologiam positivam & scholasticam: sed nullus sibi persuadeat, distinctione hac, diversa objecta, principia atque fines indicari, unum ambæ objectum habent, cognitionem scilicet veritatum religionis a DEO hominibus revelatarum, ambæ de materiis iisdem agunt, doctrina scilicet nostrorum mysteriorum, de disciplina ecclesiastica, deque theologia morali. Utraque sacram scripturam & traditionem pro fundamento habere debet; hæc & illa earum veritatibus inniti, doctrinam a CHRISTO traditam in integritate sua conservare, contrarios errores rejicere, paucis, ad vitam homines æternam perducere debent.*

Systematum lectio cum fontibus theologicis facienda.

VI. Cum enimvero summa studii theologici in scientia, explanatione, assertioneque verbi divini consistat, methodi, controversiæ, ac systemata scholasticorum eousque suscipi, ac tractari debent, quatenus intelligentiæ verbi divini sunt conducibilia. Idcirco methodi ac systemata ejusmodi, quantum fieri

ri

ri licet, ad methodum etiam & ſyſtema ipſius ſcripturæ ſunt accommodanda, ut nobis doctrinam in ſcripturis contentam via quadam & arte ob oculos ponant, ſicque ad captum aptiorem reddant, atque in memoriæ levamen cedant. Cui rei maxime proſunt ſyſtemata. Id vero a theologo requiritur, ut ſic ejusmodi lectiones pleni corporis doctrinæ chriſtianæ inſtituat, quin hinc abduci ſe ſinat a jugi ipſius ſacræ ſcripturæ evolutione, meditatione, atque a fontium aliorum theologicorum tractatione ceſſet. (a)

(a) *Hujus rei commoditates plurimas* LAURENTIUS a Villa Vincentio, *de recta form. ſtud. theol. L. III. c. 1. & ante eum* And. HYPERIUS *refert, ſi modo iis ex fontibus collectiones ejusmodi fiant, quos hic requirimus.* Quo, *inquit*, de omnibus, quæ legis, vel audis, recte tandem poſſis judicare, quo aſſueſcas ſingula, quæ in ſacris libris ſparſim occurrunt, prudenter diſtinguere, nec non ad certa doctrinæ religionis capita apte reducere; quo inſuper interrogatus de fide tua, aut de quibuscunque theologicis argumentis ſemper in promtu habeas accommodas ſententias, quibus in reſpondendo utaris; quo denique de omnibus eccleſiæ dogmatibns verbo DEI, aut divina traditione, vel conciliorum auctoritate aperte confirmatis, perſpicua oratione & ſine erroris offenſionis-

Systematum theologicorum studium necessarium cum fontium studio.

VII. Fuerunt non pauci, plerique Protestantes, qui odio, ac prætextu theologiæ scholasticæ, omnem systematicam methodum rejecerunt. Putarunt e re non esse in scholis & academiis per compendia, & locorum communium collectionem theologiam tradere, consiliumque dederunt in theologiæ studio, ut jactis fundamentis linguarum ad ipsum textum biblicum & Patrum lectiones sese conferant studiosi, ac denique ad controversias, nullo vel compendio, vel systemate theologico usi. Sed modum istum studendi theologiam nec suis plerisque persuadere potuerunt: sola enim fontium lectio scripturarum, & Patrum, eum ordinem & nexum doctrinarum non suppeditat, unde nobis vel maxime facilis redditur perceptio rerum, & dilucida intelligentia. Brevior etiam longe est via, dum ad suas quibusve revocatis sedes, quasi

nisque periculo, quotiescunque opus fuerit, disseras, perquam est necessarium eos sæpe legas, sæpe relegas libros, in quibus præcipua capita, sive loci communes universæ theologiæ, e scripturarum limpidissimis fontibus, vel divinis traditionibus, aut sacrorum conciliorum decretis hausti, interdum etiam Patrum disputationibus & sententiis illustrati, dilucide ac certa methodo explicantur.

ſi uno obtutu omnia inſpicere licet. Contra longo tempore, ac otio foret opus, ſi primam theologiæ notitiam, præſertim ex ſola operum ſanctorum Patrum lectione tam diffuſa comparare nobis deberemus. Nullus eorum ordine, methodo, & rerum connexione rem omnem theologicam tractavit, quemadmodum deincps ſcholaſtici immenſam theologicam eruditionem in variis fontium theologicorum veluti oceanis diſperſam artificio & diſpoſitione inſigni integram tradiderunt. Eſt igitur tempus aliquod lectioni ſyſtematum tribuendum, ſed non omne. Poſtquam enim in pulvere ſcholaſtico ſatis ſubacti fuerimus, ad ipſos fontes accedamus oportet, ſed non eodem modo. Scripturas ſacras, cum primum theologiæ nos mancipaverimus, quotidie verſare ordine ac ratione debemus. Reliqui fontes tardius adeundi, neque ſtatim, poſtquam vix primis labiis theologiam guſtare cœpimus, & vix per breve temporis ſpatium tyrocinium poſuimus, ei nuntium remittere debemus, & totos nos, neglectis ſyſtematibus, ſubſidiis theologiæ poſitivæ committere. Quin poſtquam etiam ſatis inſtructi theologica ſupellectili fontibus nos dedimus, non ideo deponere omnem

ſyſte-

ſyſtematicæ theologiæ curam debemus, ſed alternis operis utrique vacare. Sic quas ambo afferunt utilitates, & commoda, in uſum redigemus. *Melchior* CANUS in limine ſtatim ac procemio operis ſui de locis theologicis, poſtquam utilitatem veterum & novorum theologorum variam diſtinxiſſet, & quid illi, hique præſtiterint, expoſuiſſet, idem theologo conſilium dat, ut utrique legantur. *Nam*, inquit, *ex illis quaſi materiam, ex his tanquam formam differendi mutuatus, potens nimirum erit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere.*

Eruditionem non ſolum hiſtoricam, ſed etiam ſolidam ſectari debet theologus.

VIII. In quem finem maximo uſui erunt lacertoſæ argumentationum, demonſtrationumque ſcholaſticarum formæ ac ordines. Quamvis enim cum iis non omnino faciam, qui non ſolum theologicam diſciplinam in formam artis ſolidæ redegerunt, ſed etiam modum demonſtrationum mathematicarum in theologiam introducere conati ſunt; ſentio tamen in hac ſcientia non eſſe acquieſcendum in exteriore eruditione hiſtorica, ſed etiam cognitioni ſolidæ eſſe ſtudendum. Nota ſunt hac de re conſilia, & molimina Proteſtantium, quorum alii theologiam redigendam putarunt

runt ad formam demonſtrationum mathematicarum, qua de re in actis eruditorum refertur PUFFENDORFFII *Samuelis* ad fratrem *Eſajam* epiſtola, occaſione demonſtrationis evangelicæ *Dan.* HUETII, ut talis integræ theologiæ inferatur, quod faciendum non duxit HUETIUS. Alii, duce COCCEJO, neglecta penitus philoſophia faciliorem, & ut ipſis viſum eſt, rebus ſacris accommodatiorem modum inire voluerunt. A qua methodo non multum abludit, quam *Jo.* CLERICUS propoſuit, omnia in theologia tractanda conſulens hiſtorica ratione. Nos hic iterum connubium aliquod molimur, & ſic demonſtrationibus indulgendum remur, ut tamen non exiguam partem otii theologici cognitioni dogmaticæ factorum dandam putemus, cum res theologicæ tantopere non ſolum cum hiſtoria antiqua copulata ſint, verum etiam cognitio fontium vere theologicorum hiſtorica, potiſſima ſua parte, ſit, & ingentem factorum notitiam requirat. Exemplum hujus rei præſtantiſſimum dedit laudatus *Daniel* HUETIUS in demonſtratione ſua evangelica.

IX. Alii inſignes quique theologi noſtro præſertim ævo, etſi res theologicas

Sic optima omnia theologica

munia implebuntur & consociabuntur.

cas non præcise ad accuratam mathematicorum methodum transigant, apodixes tamen etiam suas & demonstrationes ex fontibus theologicis maxime divinis scripturis sumunt. Hæc quamvis in principiis non semper habeant eandem cum geometricis evidentiam, eam tamen & multo firmiorem apertioremque præbent in ipsis demonstrationibus. Ornant autem & illustrant has apodixes varia suppellectili. Huc revocant quidquid præclarum in artibus studiisque humanis & divinis, ad usum sacrum theologiæ; studiose vero devitant muniorum & partium theologicarum discerptionem, quæ ubertatem & plenitudinem disciplinæ hujus divinæ superioribus sæculis multum impedivit, dum scripturæ doctor nefas duxerat attingere, quod ad canonistam, aut scolasticum pertinere putabat, & vicissim non auderet scholasticus, nec præsumeret scripturas, aut canones tractare: ad Patres autem adeundos otium non satis relinquerent perpetuæ contentiones, speculationesque; alias autem artes multo minus discere suum putarent. Sic ergo separatio artium & disciplinarum damnum ipsis artibus, ac ipsi divinæ theologiæ intulit.

X. Nunc

X. Nunc autem artes omnes reflorescere cœperunt, & jam earum omnium fere consociatio in doctore requiritur. Unde optimus existit tum reliquarum, tum etiam theologiæ nostræ status, postquam scrupulosa finium constitutio cessavit, & obsoleta bonorum communio postliminio rediit: præsertim autem postquam positiva cum scholastica theologia pacem & concordiam iniit, atque ambæ conjunctis viribus rei christianæ satagunt. Quod si tamen in publicis studiorum curriculis nec dum ubique locorum penitus concepta præjudicia cessarunt, ac alicubi adhuc viget insipidum illud *meum* ac *tuum*, & cum artium discretione obtinet studiorum divisio; optandum saltem, ut in privatis scholis apud cœtus præsertim religiosos quibus illa divisio disciplinarum non adeo invaluit, artes & scientiæ cum animorum consociatione copulentur: ubi non solum artes, & subsidia artium doceantur, sed etiam amica confœderatione sibi invicem suppetias ferant, operasque jungant ad ornandam reginam scientiarum theologiam, non systematicam illam solum, quæ ad scholas redacta est; sed quaqua late patent sacra cimelia thesaurus ille inexhaustus doctrinæ christianæ, ad quem effodiendum agrum tot insignes

Hujusmodi felix theologiæ conubium facile in monasteriis initur.

ſignes coloni ſacris addicti operas locarunt.

CAPUT XXIII.

Fructus uberrimi talis theologiæ.

Eſt omnium geniis accommodata iſtiusmodi ſtudii theologici ratio.

I. Fructus uberrimi maximique in eccleſiaſticam rempublicam redundant, ſi ita artium & præcipue theologiæ ſtudium inſtituatur, & hoc modo prima principia tradantur, quomodo omnium geniis, ingeniique facultatibus accommodatum eſt; contra theologiæ genus ſequius, ſpinoſa, illa ſubtilitatum tractatio multis, quibus acumen forte deeſt, nimis dura; aliis, qui delicati ſunt palati qui non amant,

- - - Niſi laterculos
Seſamum, papaveremque, triticum, &
frictas nuces,

etiam gravis & intolerabilis. Et quoniam inter tot homines, qui operas ſuas eccleſiæ ac theologiæ locarunt ſingulari quadam ratione, fieri non poteſt, quin ſit maxima ingeniorum varietas, quid fructuoſius accidere queat, quam iis rebus primos annos tranſigere, ex quibus deinceps quilibet, ut eſt natura factus, & comparatus, ſeligendi ampliſſimam

ſimam materiam præ ſe habet, quæ ingenii capacitati ſit æquata, & a qua animus non ſit alienus? Diverſi enim ad diverſa abripimur ſtudia, quibus omnibus imperare immanis tyrannis foret, ea non multo mitior, quæ omnes ingenii vires in omnibus æquales fruſtra metitur. Sed ut in utroque lanienæ genere ingenia excruciat ſcholaſtices illius vitiatæ ſtudium, ſic noſtrum hoc ab ambobus nos vindicat. Etenim non arduum adeo, & intricatum eſt, ut non a quovis, qui non omnino invitis gratiis prognatus, & vel mediocri ingenio pollet, in ſua mediocritate poſſit comprehendi, dum ſcholaſticis annis illius prima jaciuntur fundamenta.

II. Deinde cum plurimarum, & diverſiſſimarum in ſe principia rerum & ſtudiorum contineat, fieri nequit, quin vel unum ex tot illis arrideat, quibus poſt completum ſcholaſticum ſtadium aut animus, aut vires deficiunt, aut occaſio etiam eripitur, totam molem proſequendi, & incrementis diſciplinæ iſtius locupletiſſimæ incumbendi, nunquam exhauriendæ. Imprimis enim (ne quid de illis dicam, quibus otium præ labore cordi eſt, qui a ſuo officio turpiter deflectunt) ſi qui flagrantiori operum pietatis abripiuntur æſtu, ita ut nihil ipſis

Poſt ſtudium ſcholaſticum maxime fructus promittit.

humani sapiat, habent limpidissimas sacræ scripturæ aquas, & fluenta; habent singillatim ex sanctis Patribus suos BASILIOS, EPHREM, CHRYSOSTOMOS, BERNARDOS, & sanctorum Patrum plerosque alios, quorum opera undique devotionem & pietatem spirant, ex quibus Patres congregationis S. MAURI collectionem ediderunt pluribus tomis comprehensam: habent theologos mysticos complures, & non unum tantum ex iis omnibus ascetices puræ doctorem. (a) *Quæ enim pagina, aut quis sermo divinæ auctoritatis veteris, ac novi testamenti non est rectissima norma vitæ humanæ? aut quis liber sanctorum catholicorum Patrum hoc non resonat, ut recto cursu perveniamus ad creatorem nostrum?* Ex ecclesiastica antiquitate habent sanctorum virorum clarissima exempla & vitas: item instituta ac præcepta eorum. Est aliquis, quem sacrorum canonum, & conciliorum notitia, quem fidei controversiæ, seu polemica, quem ecclesiasticæ antiquitatis, quem varia historica, quem critica, philologica, delectent, cum in hac saluberrima disciplina omnium istarum rerum semina & primi prægustus referentur, junioribusque annis instillentur, per reliquam vitam facile deinceps ad

(a) S. BENED. cap. ult. reg.

ad maturitatem, cultu adhibito, quo maxime fructu conspicuus esse quisque petit, aut ferax est, perducet. Deinde, quod est maximi momenti, tale est hoc studium, ut ad cujuscunque capacitatem se extendat, aut restringat. Est quisquam, cui & occasio, & tempus, & diligentia, & ingenium adest, ut immensum illud autographorum seu ipsorum fontium campum pervadendi ardore pectus flagret, habet, quibus omnem vitam in pulcherrimis rebus suavissime, solertissimeque degat. Est, cui tantus animus non sit, sed rivos sectari contentus, prout sinum expanderit, ita ingerent se aquæ saluberrimæ.

III. Hinc consectarium est, ut sit veræ eruditionis ecclesiasticæ, aut qualiscunque homine christiano est digna, fundamentum, & veluti clavis. Qui jam in orbe litterario cupit publicæ utilitati operam navare, an nostris his temporibus, absque linguarum, quas vocant orientales, Græcæ saltem & Hebraicæ peritia non solum aliquid ipse moliri, sed & vel in lectione eruditorum digne solum versari se posse existimet? Quis jam critices, antiquitatis, historiæ, & humaniorum litterarum ignarus reipublicæ eruditorum sistere se audeat, nisi derideri velit, & ludibrio

Eruditionis ecclesiasticæ, & christianæ totius promtuarium est.

ab omnibus excipi? Certe vel in ipsis publicis ad fidelem populum concionibus jam omnibus adminiculis istiusmodi aut omnino non, aut ægre caremus, nisi rusticis, & simplicioribus sæpe imponere, & spuria veterum documenta tum historica tum dogmatica pro veris (ut ab hodiernis criticis sunt ventilata) & genuinis venditare non vereamur.

Quomodo principia subsidiorum theologicorum primis annis scholasticis tradenda.

IV. Sed hic dicat aliquis, qua ratione fieri possit, ut brevi illo scholastici cursus tempore, quod si solam theologiam attendamus, quatuor annis fere terminatur, si philosophiæ duos annos adjungas, sex annis completur, tantarum rerum semina, & prima saltem principia tot disciplinarum comprehendi, & percipi possint? Cui rei facilis est responsio. Imprimis enim satagendum est, ut jam nonnullis subsidiis a teneris annis, & humanioribus litteris instructi accedant candidati, aut antequam ad cursum scholasticum admittuntur, imbuantur. Deinde si illud temporis spatium sumamus, quod tam in philosophia, quam theologia in asserendis ut plurimum opinationibus, perscrutandis, & indagandis subtilitatibus, operosis quæstionibus, perpetuis velitationibus, disputationibusque impendendum fuit; certe relinquitur

tur ſat amplum tempus, quod & linguis addiſcendis, quantum pro primis rudimentis ſat eſt, & primis etiam in hiſtoria eccleſiaſtica, conciliorum (& qui ſunt alii fontes theologici) notitia jaciendis fundamentis, ſufficit. Porro auxilia quædam e. g. geographiæ, chronologiæ elementariæ &c. quandam humaniorum & philoſophiæ partem conficiunt; critices ſemina in puriore logice reconduntur. Atque adeo conſultum ſit, iis rebus jam in philoſophia dare operam, & vacare, quæ deinceps uſui futuræ ſunt. Et quemadmodum, ceu præambulum aliquod, philoſophia ſcholaſtica theologiæ ſcholaſticæ poni ſolita eſt; ſic etiam & hæc, & alia potiſſimum in philoſophicam tractationem ſuſcipiantur, quæ tam ad theologos futuros inſtituendos conferre, quam etiam ſtudiorum laborem in cæteram ætatem expeditum reddere, & juvare poſſint. Quod vero ſingulare eſt, & theologiam ſingillatim attinet, hæc præcipuarum ſcientiarum principia ipſi theologiæ huic intime ſunt unita, & eam conſtituunt: nimirum crebra locorum theologicorum mentio, & afferta teſtimonia. Quibus ſi ſeparatim tam in tractatu præliminari de locis, & ſubſidiis theologicis, quam deinceps per integrum theologicum curſum quibusdam

epitomis, & compendiis rudis quædam delineatio de singulis in juniorum mentibus paulatim describatur, quam studiosi postmodum sibi ipsis relicti perficere, expolire, extremamque ipsimet manum addere possint; eamque sponsam, quam maxime adamaverint, seu potius, quam officii impositi, aut sacra obedientiæ lex decreverit, prout valuerint, pulcherrimis coloribus illinire, exornare, & quam licuerit venustam, politamque redhibere satagant. Ut, si ita visum fuerit, & decor tantus sit, in publicum etiam prodat, & orbi se spectandam præbeat. Quam vero hujus rei amplissima spes esset, si a juvenilibus annis ad veram eruditionem necessariorum quorumvis subsidiorum principiis imbuti, iis deinde confirmata ætate perfectis, qui ingenii viribus pollerent, si quo in genere quid utiliter, & digne lucubrare posse confiderent, illud præ manibus sumerent.

Alia in hanc rem documenta quoad primam theologicam institutionem.

V. Quoniam vero theologicum studium palmare est ac summum inter ecclesiasticos viros; omnis opera omnisque diligentia est impendenda, ut tota sua amplitudine commodiori, facilioríque, quo fieri potest, modo tradatur. Imprimis ne ita præcise ad clepsydram exigatur, id est scrupulose tempus ei

præ-

præstituatur. Quam in rem illud solum moneo, quod multis e nostris etiam conducens maximopere visum est, ut strenue in isagogicis, quos vocant, scientiæ theologicæ principiis ac tractatibus laboretur, quo firmius uberiusque sit præparatus animus, cum ad latam illam scientiam accedit. Quamvis ego hæc omnia non pro isagogicis habeam, quæ ad fontes theologicos referuntur, sed intimam theologiæ partem ducam, in quo potissimum otium theologicum consumendum sit. Non parum laboris expetit, eorum accuratam habere notitiam, quæ primo ipsam scripturam sacram, historiam ecclesiasticam, conciliorum, patrologiam, juris canonici principia, moralis fundamenta attinent. Illud etiam primis statim annis maxime proficuum foret, ut linguis exteris addiscendis aut exercendis, nisi jam antea, quod maxime optandum est, principia earum hauserint, aliquam saltem navarent operam tirones: sic, ut qui præ cæteris ingenii capacitate, ac vigore pollent, Græce, Hebraiceque pro cujusque genio, ingenioque docti fierent. Post cursum theologicum non statim sibiipsis relinquendi forent adolescentes, sed altioribus principiis eruditionis ecclesiasticæ, præprimis criticæ

philologiæ, historiæ, & antiquitatis ecclesiasticæ, juris canonici (& quidquid ad consummatam doctrinam facit) imbuendi forent: via etiam commonstranda, qua quisque ad aptam ingenio eruditionem valeat pervenire.

Studium theologicum ad pietatem collimare quomodo debeat.

VI. Supereſt, ut breviter fructus illos tangamus, quos in morum, & pietatis ſtudio, ſtudium theologicum rite institutum affert, ac promittit. Qui ſacris non ſunt initiati ſuas complere poſſunt partes, quamvis nulla eruditione ſingulari conſpicui clareant, virtutibus vero niſi reſplendeant, ſuo muneri minime ſatisfaciunt. Ipſis litterarum ſtudiis eum in finem atque eatenus incumbendum, *quantum & quatenus*, quæ ſunt verba Em. Cardinalis de AQUIRRE epiſtola ad MABILLONIUM, *conferunt, aut conferre poſſunt ad pietatem, perfectionem chriſtianam, religioſam, monachalem, & tandem ad perfectam charitatem erga DEUM, ac proximum.* (a)

At-

(a) *Et* Ludov. VIVES *L. I. de trad. artibus*, Quocirca, *ait*, cum ea demum ſit cujusque rei perfectio, ſuisque omnibus partibus abſolutio, aſſequi finem, cui eſt condita, ſola utique pietas eſt via perficiendi hominis: quare hæc una eſt rerum omnium neceſſaria: ſine cæteris expleri poteſt homo, & numeris ſuis omnibus conſummari, ſine hac non poteſt: etiam cibo & quotidiano victu poteſt carere,

pie-

Atqui vero hoc unice intenditur in nostra, quam designamus, theologia. Nil agimus, quam ut sacræ theologiæ verbum restituatur divinum, eaque majestas, & decentia, quæ verbum hoc divinum decet; unde vigor evangelicæ legis ac perfectionis efflorеat.

VII. Jam superius aliqua sunt allata de eorum studiis, qui unice pietati se dederunt, omnium rerum terrenarum pertæsi, quidquid humani est, in scientiis etiam aspernantur; quemadmodum ex illis fontibus, quos hucusque aperuimus, aquas in gaudio de fontibus salutis haurire possint. Hic aliqua dicenda de illis etiam, qui promiscue omnes frequentant hactenus requisitas disciplinarum species, quarum aliæ non sacræ, aliæ etiam videntur profanæ. Demus, veneni quidquam secum ferre disciplinas, quæ sacræ non sunt: quis vero nescit celebre etiam illud alexipharmacum, quod contra veneni vim habetur, ac valet, venenum admixtum continere? Sic prorsus in nostra causa — In studio artium etiam profanarum.

pietate nullo pacto potest, nisi sit futurus miserrimus. Hoc est quod Dominus MARTHÆ dixit, solicitæ non utique de supervacaneis, sed de quotidiano alimento, turbari eam circa plurima, unicum est necessarium, quod elegerit MARIA, sedere ad pedes Domini, & verbum illius audire.

accidere veriſſime plane deprehenditur. Antiquitatis venerandæ ſaluberrima exempla, Patrum piiſſima documenta, ſanctiſſima conciliorum decreta, ſcripturarum ſacratiſſima placita, ea ſunt antidota, quæ veneno illi humanarum litterarum non ſolum virulentiam auferunt, verum etiam contra congenitum, & naturæ noſtræ inſitum maligniſſimum perverſitatis virus ſalutares efficiunt:

Scilicet ingenuas didiciſſe fideliter artes
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Quodſi ut ingenuæ artes & diſciplinæ mores mitigare, & a feritate vindicare debeant, opus ſit, ut fideliter diſcantur, quonam modo fidelius diſcentur, quam ſi ad optimum finem diſcuntur? Qui vero melior finis, quam DEI divinarumque rerum cognitio, & diſcuſſio? Eam a nobis fidelitatem requirit DEUS, ut quidquid in hac orbis terrarum mole eſt, ceu nobis commiſſum & locatum, ad ipſius gloriam impendamus: atqui omnium rerum complexu etiam optimas ſcientias & diſciplinas (ab aliis tanto ſudore, & fere nullo eorum merito, quod rectum finem non ſpectarent, inventas) comprehendi quis neget? Quas ad divinam illam, reginam, & principem reliquarum, diſciplinam, adhiben-

das

das trahendasque æquiſſimum ducimus: quibus illa demat, quod virulentum, & nocivum eſt, ſibique accommodas nobis vero utentibus ſalutares reddat. Quod gratiſſimum DEO accidere ambigendum non eſt, ſi eas etiam res, quæ reniti ſua natura videntur, ad ejus honorem trahamus, ac veluti victimas brutas mactemus: neque eis ad curioſitatem, oſtentationem, aut alium perverſum finem abutimur, ſed eo unice dirigimus, ut in omnibus glorificetur DEUS.


VIII. Atque cum tam amplum ſit hoc negotium, quod tam copioſa aliarum diſciplinarum momenta in ſe complectitur, illud præcipue attendendum, cavendumque videtur, ne præcipitantia aliqua, ac præmatura acceleratio locum inveniat. Qua enim re philoſophus ille doctum ab indocto differre cenſuit, *bona ſpe*, eadem is theologus, quem requirimus; ab eo, quem non probamus, diſcrepare videtur. Hæc enim ſuis limitibus terminatur, illa fines nullos habet niſi bonam ſpem, ſi ſemel ſe quisquam in latiſſimum ipſorum autographorum campum immiſerit, quod ab eo omnino fieri debet, qui aliquid dignum moliri in iſta palæſtra exoptat. *Bona ſpe* diu ſe nutriat, donec ſatis in neceſ-

Cautio neceſſaria ad elaborandum in theologia hac.

necessaria sibi doctrina enutritus sit; *bona spe* etiam alios suspensos teneat, qui avidius exspectabunt sementem. Sunt enim hæc veluti hyberna sata, scholastica æstiva: illa postquam integro hiemis tempore partim terra, partim nive obtecta, & reclusa latuerunt, vere virescunt, æstate metuntur; hæc mox ut sunt sata, excrescunt, brevique adolescunt. Quam ipsam ob rem illud mihi studium maxime appositum videtur, quod in silentio, ac solitudine religiosa commodissime claudi ad tempus queat, & veluti emori; id quod divini verbi effatu necessarium esse ad fructificandum intelligimus, nempe ad multiplicandum granum. Secus in scholastice usu venire cernimus; ea enim quidquid quoquo die docet, jam etiam effutire jubet semper vivacissima, nec momentum mortua: quid igitur mirum, si grana non multiplicentur, quæ nunquam emoriuntur? In id ergo incumbendum, ut doctrinæ solidum corpus in animo efformetur, quod nisi diuturno labore & studio effectum iri nequit: cum tempore autem fructus sequetur uberrimus & reipublicæ christianæ saluberrimus, cum incremento honoris divini, salutisque animarum.



INDEX



INDEX
RERUM MEMORABILIUM.

Abaelardus Aristotelis philosophiam primus in theologiam infert. *p.* 6. 8.
Anni scholastici quomodo cum fructu transigendi? 196. Præsertim in theologiæ studio. 198. *seq.*
Aristotelis philosphia quomodo & quo tempore in Europam illata? 5. In theologiam inducta multum auctoritatis accipit. 6. *seq.* Quas ob causas? *Ib. seq.*
Artium liberalium neglectus. in scholasticis maxime carpendus. 94. 97. *seqq.*

Barbaries sermonis in theologia scholastica ex metaphysicarum notionum affectatione. 40. Et neglectu proprietatis verborum. 42. Ex vagis item notionibus & vocibus indefinitis. 44. *seq.* Quibus remediis illa emendanda? 133. *seqq.*
Brevitas in theologia scholastica laudanda. 14.
Butilierii cum Mabillonio circa studia monastica dissidium unde ortum? 116.

Clemangiis *Nicol. de*, circa subtilitates scholasticorum querelæ. 81.

Damascenus *Joan.* primus theologiam *μεθοδικῶς* tractavit. 4.
Dialectica quantam sibi in theologia licentiam arrogarit? 83. Ejus abusus multorum malorum origo. 84. 85. *seqq.* Moderatus usus plurimum adjumenti theologiæ adfert. 150. 151. 155. *seqq.* Duo extremi scopuli in ea vitandi. 153.
Dictionis ornatus non spernendi in theologia est momenti. 36. 37.
Disputationes scholasticæ animi elationem fovent. 108. *seq.* Ac Spiritum Christi extinguunt. 120. *seq.* Earum pruritus. 84. 86. *seq.* & pervicacia in propugnandis sententiis semel susceptis. 89. *seq.* Iis ingeniorum selectus ad officia publica impeditur. 114.
Doctorum medii ævi de corruptio-

ruptione ſcholaſtices querimoniæ. 25. 26. *ſeq.*

Gerſonius *Joan.* ſcholaſticæ theologiæ correctionem petit. 26. *ſeqq.*
Graveſon *Hyacinth.* ſcholaſticorum nænias deplorat. 74.
Gregorii IX. ſummi Pontif. querelæ de ſcholaſtices depravatione. 24.

Hangeſti definitio veræ ſcholaſtices. 131.
Hæretici theologiæ ſcholaſticæ infenſi. 19. *ſeqq.* 131.

Joannis XXII. de ſcholaſtica theologia lachrimæ. 25.

Linguæ Latinæ fata medio ævo. 37. 38. In eam quantam ſibi licentiam ſumſeſerint ſcholaſtici? 39. 40.
Logicus hæreticorum patriarcha Tertulliano dictus. 152.
Logomachiæ duplicis generis. 46. 48. Earum malum in theologia etiam præſertim ſcholaſtica frequentiſſimum. 49. 52. *ſeq.* Sæpius ſchiſmatum cauſa exiſtunt. 51. Earum in theologia ſcholaſtica origo. 53. *ſeq.*

Qua ratione evitandæ? 135. 136.
Lombardus *Petr.* *Magiſtri ſententiarum* nomen unde adeptus? 3. Ejus laus. *Ib.*

Methodus ſcholaſticorum commendanda. 128. *ſeq.*
Monaſtica ſtudia diſciplinæ baſis. 173. Quomodo inſtituenda, ac conſocianda?
Morum doctrina ob ſcholaſtices vitia turpiſſime corrupta. 104. Ei malo quomodo medendum? 171. *ſeq.*

Opinionum in ſcholaſtice diverſitas latam ad Pirrhoniſmum & σκέψιν academicam viam aperit. 76. Multarum inde ſectarum origo. 89.

Pariſienſis academia ob nimium dialectices uſum exterorum ludibrio expoſita. 84.
Philoſophiæ in theologia nimium ſtudium 90. Cum magno rei theologicæ detrimento conjunctum. *Ib.* *ſeq.* In quo maxime ejusdem abuſus verſetur? 93. Ejus in theologia uſus ſemper obtinuit. 156. Hodieque maxime neceſſarius.

ſarius. 160. Cautionibus tamen eſt opus. 158. Ejus in theologia præcipui fructus. 161. Quibus partibus potiſſime opus habeat theologus. 164. *ſeq.*

Philoſophi morum doctrinam corrumpentes civitatibus pelluntur. 105.

Plato per tria principia num perſonarum in divinis Trinitatem indicare voluerit? 49.

Πολυμαθίας ſtudium theologo ſumme neceſſarium. 167. In eo ſelectus faciendus. 170. *ſeq.*

Quæſtiones ſcholaſticorum vanæ & inutiles. 55. 56. *ſeqq.* Ac rerum prorſus imperceptibilium. 62. Multæ pietati & bonis moribus adverſæ. 63. 104. 107. Plures ſupervacaneæ. 66. 72. Et ab hominis intelligentia remotæ. 69. 70. De iis doctorum virorum querelæ. 57. 60. *ſeqq.* Et remedia. 137. 138. 140. *ſeqq.*

Rationis in theologia ſcholaſtica abuſus. 73. 74. Multa in doctrinam moralem mala intulit. 77. Fontibus theologicis neglectis. 81. Ejus principia in theologia qualia eſſe debeant? 146. Quouſque ei a theologo indulgendum? 78. 79. 144. *ſeqq.*

Scholaſtica theologia quibus incunabulis provecta? 7. Ejus origo ab Adamo vel CHRISTO levi criſi repetitur. *Ib.* Vera ſtatuitur. 8. 9. In omnes ſcholas & academias penetrat. 10. *ſeq.* Agro ſimilis eſt bonis frugibus ac zizaniis referto. 123. Et vineæ ineptis cultoribus comiſſæ. 124. *ſeq.* Ad hæreticorum fallacias detegendas accommodatiſſima eſt. 18. Ejus quinque virtutes ex Vavaſſore relatæ. 12. 13. 16. *ſeqq.* Quomodo vindicandæ. 127. Et quatenus eas ſervarit, aut amiſerit. 126. *ſeq.* Tractu temporis multis vitiis conſpurcata. 32. *ſeqq.* Qua ratione corrigenda. 129. *ſeq.* Innumeris logomachiis ſcatet. 52. *ſeq.* Et quæſtionibus inutilibus. 55. *ſeqq.* Contra eas remedia & regulæ. 135. 137. *ſeqq.* Ea abſoluta cur minus ad ſtudia ferveant theologi? 115. 116. *ſeqq.*

Scientiarum ſæcularium utilitas in theologia. 95. De iisdem

iisdem S. Hieronymi judicium. *Ib. seq.*
Servitus ingeniorum scientiarum augmentum impedit. 100. Quomodo declinanda? 168. 169. *seq.* Ex ea scholasticorũ neglectus varietatis & lectionis propriæ contemplationis ortus. 98. 102.
Sixti V. Rom. Pont. monitum ad excolendam theologiam scholasticam. 20.
Stilus scholasticorum subtilitatibus ac tricis refertus. 112. 113. Optima ingenia a studio theologico revocat. *Ib.*
Systemata theologiæ ad methodum scripturæ & fontium studium accommodanda. 185. Quanti hæc res utilitatis sit? *Ibid. seq.*

Terminorum scholasticorum obscuritas mysteriorum explicationẽ impedit. 110. Maximo christiani populi damno. *Ib. seqq.*
Theologiæ recte institutæ uberrimi fructus. 192. 193. *seqq.* Ejus ratio adumbrata. 176. *seq.*
Theologus veri nominis quis sit? 173. 174. Ejus munia 176. Sedulo implenda. *Ib. seq.* Ejus eruditio qualis ac quanta esse debeat? 188. *seq.* Ei maxime cavendum partium theologicarum divortium. 177. Ac praxis a theoria discidium. 179.

Vives *Lud.* de disputandi scholasticorũ pruritu sententia. 86.
Vocum technicarum utilitas. 25.

F I N I S.

E R R A T A.

P. 80. lin. 20. *evacuuntur*, lege exacuuntur. P. 70. lin. 4. *qua*, lege quas. Pag. 73. lin. 14. *utrumque*, lege utcumque. P. 95. lin. ult. *magnum*, lege MAGNUM. P. 146. lin. 23. *fleri*, lege fieri. P. 170. lin. 6. *ulla*, lege ullo.

DE RATIONE EXERCITIORUM SCHOLASTICORUM

PRÆCIPUE

DISPUTATIONUM

CUM INTER CATHOLICOS, TUM CONTRA HÆRETICOS IN REBUS FIDEI.

AUCTORE

P. MARTINO GERBERT,

Monacho O. S. B. e Congr. D. Blasii in Silva nigra,
Em.mi & Rev.mi S. R. E. Cardinalis DE RODT,
S. Q. R. I. Princ. & Episcopi Constant. &c. &c.
Theologo.



Permissu Superiorum.

Litteris SAN-BLASIANIS. 1758.



PRÆFATIO.



Ejusmodi mihi eſt propoſitum thema, *de ratione exercitiorum ſcholaſticorum*, quod potius uſu diuturno, & experientia magiſtra eſt expediendum, quam longa inſtitutione & certarum regularum præſcriptione. Quapropter totam rem paucis percurrere liceret, niſi quædam ex ſuperiore argumento *de recto & perverſo uſu theologiæ ſcholaſticæ* huc maxime fuiſſent revocanda: niſi denique hic etiam non pauca occurrerent, quæ ad perverſum uſum notandum haud minus, quam rectum uſum faciendum forent obſervanda. Agere nimirum in animo eſt, de illis exercitiis, quo-

rum in inſtitutionibus theologicis uſus eſt. Qua in materia ſtudioſe ea ſelegi, quæ his, quibus labor iſte noſter dicatus eſt, tironibus inquam potius uſui eſſe poſſunt, quam magiſtris, penes quos dirigenda ac moderanda ſunt exercitia ſcholaſtica. Quare paucis de *prælectionibus* prælibatis, tum indicatis ſolum, ac veluti digito oſtenſis aliis quibusdam exercitiis, quæ inſtituere vel omittere docentis eſt & magiſtri, ſtatim ad illud proceſſi, quod a diſcentibus potiſſimum abſolvitur: *diſputationem* intelligo, de qua majore ſermonis parte agere propoſui. Non quod magnopere probem, aut aliquo loco habeam uſum illum in ſcholis perpetuo confliſtandi, velitandique; ſed quod hoc exercitium, quoad ſua principia in omnem theologiam haud minus quam reliquas ſcientias ſeſe diffundat: tum etiam rectus illius uſus, & moderatus in reliquis exercitiis, prælectionibus, collegiis &c. locum ſibi vendicet. Certe eluceſcet ex orationis continuatione, me de diſputationibus agentem, nihil minus quam de diſputando præciſe agere: imo id agere, ut rectam rationem in omni theologica tractatione ſtatuam, perverſam damnem: diſqui-


ram in argumentationum, ratiocinationumque theologicarum, quibus fere hæc disciplina a fide distinguitur, sedes & principia, eorum veluti anatomia exhibita ac instituta. Quod eo fine a me factum est, ut eo apertius natura omnis argumenti theologici patesceret; atque hac ratione quid contra eam actum sit, & peccatum elucescat, ratioque pateat ac via, omnia ad rectum revocandi usum. Multa hic ob vicinitatem materiæ recurrent, de quibus etiam est actum de recto & perverso usu theologiæ scholasticæ: quædam priore illa dissertatione tractata sunt parcius, huc opportune dilata. Ex quo censu illa sunt, quæ de principiis rationis & eorum usu in theologia hic accuratius, ut instituti fert ratio, pertractantur. Quæ, mea opinione ni fallor, non spernendum usum præbebunt, ad florem facultatis theologicæ restituendum, quo unice meus hic de ratione studii theologici spectat labor: dum ante annos aliquos apparatum ad eruditionem theologicam edidi, ceu prodromum ad systema theologiæ universæ, cujus jam dimidia pars prelum eluctata, prostat, altera in eo est, ut quam primum sequatur; nunc autem postquam

de recto & perverso usu theologiæ scholasticæ egi, id superesse visum est, ut *de modo & ratione exercitiorum scholasticorum* hoc, quidquid est addam, eo minus negligendum, magisque curandum, quod prima theologiæ institutio his contineatur exercitiis, & profectus discipulorum non solum potissimum inde pendeat; sed etiam causæ ecclesiasticæ ac fidei catholicæ plurimum intersit paralogismos & sophismata adversariorum perspecta habere, & tum ad genuina revocare theologiæ christianæ principia, cum etiam in conflictu disputationis intra suos continere cancellos, ne extra orbitam ferantur. Quod multo hic periculosius est, quam in scholasticis disceptationibus, ubi de rebus fidei non agitur; & licet inutile sit ecclesiæ studium, perpetuo inter se digladiari, disputando de rebus indifferentibus; non tamen recta periclitatur fides, sicut in disputationibus cum hæreticis, contra avitam ecclesiæ traditionem novitates suas & errores fallacibus argumentationibus ratiocinationibusque involventibus, contra puritatem simplicitatemque fidei: quæ dici potest unica hostium fidei ars & armamentarium, unde tela sumunt, & adversus ecclesiam pugnant,


ac

ac impugnant fidei catholicæ dogmata, fucum facientes & offucias obtendentes sophistæ pessimi, ad obfuscandas veritates, & fidei integritatem lacessendam, ut dudum malas eorum artes PRUDENTIUS in præfamine ad *apotheosin* descripsit:

Fidem minutis dissecant ambagibus,
Ut quisque lingua est nequior.
Solvunt, ligantque quæstionum vincula
Per syllogismos plectiles.
Væ captiosis Sycophantarum strophis,
Væ versipelli astutiæ.
Nodos tenaces recta rumpit regula,
Infesta dissertantibus.
Idcirco mundi stulta delegit DEUS
Ut concidant sophistica.



SUM-



SUMMARIA.

Caput I.

De principali scholastico exercitio, scriptorum aut prælectionum.

Caput II.

De exercitiis collegiorum, declamationum, disputationum, earum modo & præstantia.

Caput III.

De exercitio disputandi singillatim, quomodo illud rite instituatur.

Caput IV.

Disputationum utilitates declarantur.

Caput V.

De vitiis exercitiorum seu disputationum scholasticar.

Caput VI.

De ratione dogmaticarum disputationum, ac imprimis de sedibus argumentorum ex verbo DEI.

Caput VII.

In argumentis theologicis quis sit usus rationis, philosophiæ, maximeque dialectices.

Caput VIII.

Qua ratione robur & securitas consequentiis & principiis rationis in theologia servetur.

Caput IX.

Ratio exercitii disputandi secundum præscriptam formam.

Caput X.

Illustrantur hactenus dicta eorumque usus ostenditur exemplis argumentationum theologicarum ex scripturis.

Caput XI.

Exempla disputationum ex traditione & controversiis fidei, unde earum utilitas ostenditur.

DE




DE RATIONE EXERCITIORUM SCHOLASTICORUM,

PRÆCIPUE

DISPUTATIONUM,

CUM INTER CATHOLICOS, TUM CONTRA HÆRETICOS IN REBUS FIDEI.



CAPUT I.

De principali scholastico exercitio, scriptorum, aut prælectionum.



I.

Scio docendi, discendique rationes, ac modos nec posse, nec debere scrupulosius ad uniusmodi formam & regulas revocari. Possunt disciplinarum methodi innumerabilibus viis institui, idque non solum in effin- Rationes tradendi artes usu potius, quam regulis hauriuntur.

SUMMARIA.

Caput I.

De principali scholastico exercitio, scriptorum aut praelectionum.

Caput II.

De exercitiis collegiorum, declamationum, disputationum, earum modo & praestantia.

Caput III.

De exercitio disputandi singillatim, quomodo illud rite instituatur.

Caput IV.

Disputationum utilitates declarantur.

Caput V.

De vitiis exercitiorum seu disputationum scholasticar.

Caput VI.

De ratione dogmaticarum disputationum, ac imprimis de sedibus argumentorum ex verbo D E I.

Caput VII.

In argumentis theologicis quis sit usus rationis, philosophiae, maximeque dialectices.

Caput VIII.

Qua ratione robur & securitas consequentiis & principiis rationis in theologia servetur.

Caput IX.

Ratio exercitii disputandi secundum praescriptam formam.

Caput X.

Illustrantur hactenus dicta eorumque usus ostenditur exemplis argumentationum theologicarum ex scripturis.

Caput XI.

Exempla disputationum ex traditione & controversiis fidei, unde earum utilitas ostenditur.

DE



DE RATIONE EXERCITIORUM SCHOLASTICORUM,

PRÆCIPUE

DISPUTATIONUM,

CUM INTER CATHOLICOS, TUM CONTRA HÆRETICOS IN REBUS FIDEI.



CAPUT I.

De principali ſcholaſtico exercitio, ſcriptorum, aut prælectionum.



I.

Scio docendi, diſcendique rationes, ac modos nec poſſe, nec debere ſcrupuloſius ad uniusmodi formam & regulas revocari. Poſſunt diſciplinarum methodi innumerabilibus viis inſtitui, idque non ſolum in effin-

Rationes tradendi artes uſu potius, quam regulis hauriuntur.

gendis, ordinandisque ſyſtematibus, verum etiam in docendi, diſcendique exercitiis. Fatendum tamen eſt profectum in artibus, & ſcientiis maximam partem pendere ex ejusmodi rite inſtitutis ſcholæ exercitationibus. Hunc in finem autem multo magis proficit diuturnus uſus, & obſervationes, quibus compendia docendi; diſcendique animadvertuntur, quam regularum præſcripta. Quapropter audiendi illi præprimis ſunt in hac re, qui ætatem in præclaris diſciplinis contriverunt. Et quoniam viſum eſt, quid ſentiam exponere, alia a me nolim exſpectari, quam quæ ab aliis in doctrina & eruditione vitam agentibus viris, inque orbe litterario celebratis, didici.

Conſuetudo ſcripta dictandi in ſcholis, ejusque utilitates.

II. Videri queam in ipſo ſtatim ſermonis ingreſſu ab hoc conſtituto animi decreto, deviare debere, ſi velim ex animi ſententia agere in conſtituendo palmari ſcholæ exercitio, *prælectionum* ſcilicet, a quibus integra diſciplinarum efformatio exſpectanda eſt. Longo uſu, & conſuetudine in omnibus fere orbis catholici pædagogiis, academiisque obtinuit, ut prima tum philoſophiæ, cum theologiæ inſtitutio ſcripto excipiatur. Ipſe Mabillonius favere huic mori vide-

videtur, non tam quod universalis omnium fere temporum praxis modum hunc utiliorem evincat; verum quod magistro nimium negotii facessere credat, auctoris scholastici, prælo editi, opiniones mere explanare; cum difficillimum sit, ut in cunctis sibi plane arrideat: præterea professor parum existimationis, auctoritatisque apud discipulos suos conciliet, nisi scripta proprio Marte composita iisdem tradiderit: Is insuper multo melius propria scripta discipulorum suorum ingenio possit conformare, quam si librum impressum iisdem explicet: tum vero scientiæ vividius discipulorum mentibus imprimuntur, si calamo exarentur, quam si legantur tantummodo. *Possunt siquidem*, sunt verba MABILLONII (a) *animo distrahi, dum a magistro explicatur auctor; at vero dum scribunt, se cohibere nequeunt, quin aliqua ratione attentos eidem se præbeant auditores, præsertim vero cum scriptorum explanatio continuo subsequitur.*

III. Non is sum ego, qui ausim tanti viri judicio, & sententiæ refragari. Attamen negari non potest, quod observatum a POSSEVINO (b) est, eos qui dictan- Utilitates prælectionum maxime pro docente.

A 2

(a) Tr. de stud. monast. P. II. c. 10. n. 1.
(b) Biblioth. sel. L. I. c. 26.

dictandis prælectionibus potius ingenia presserunt adolescentum, quam ut per veterum semitam deducerent, culturam ingeniorum optimam haud fecisse: cum hinc fiat, ne viva vox, quæ, secundum S. HIERONYMUM, nescio quid latentis habet energiæ, in discipulorum influat animos: Prælectionibus sua quoque compendia & utilitates insignes sunt præ scriptorum dictatis. *Nascitur porro quæstio*, inquit DU-PINIUS, (a) *num utile sit atque conveniens ut professores auditoribus in calamum sua, ut voluerit quisque, dictent, vel an non melius foret, auctorem aliquem typis publicis expressum explicarent. Haud multis opus est, ut probetur posteriorem modum multo faciliorem, & professoribus pariter ac discipulis minus molestum esse, quia alteros ab operosa scriptorum novorum compositione, alteros a temporis jactura in describendo liberat. Adhæc difficile creditu est, professoris utcumque exercitati scripta hunc in finem pro studiosis composita, tam limata exactaque esse, quam sunt auctorum eruditorum libri, qui ante de eadem materia publico cum elogio prostant. Majori adhuc attentione editi typis libri, quam ea, quæ discipulis in schola dictantur, perlegi solent, plurisque ea, quæ publice prodeunt, quam quæ in scholis sonant,*

(a) Meth. stud. theol. c. 25.

nant, æstimantur. Vix fieri potest, aut saltem raro fit, ut professori sat otii sit, scripta elaborare debita accuratione: sæpe contingit, eos centones ex uno alteroque auctore consarcinare. *Sæpe enim,* ut eodem loco idem ait POSSEVINUS, *ex alienis scriptis eadem promunt, quæ volunt haberi pro suis, quare potius peregrina & mortua, vel echo nescio quæ obtundit aures, non mentem instruit.* Certe discipulis consultius foret in ipsis auctoribus, ubi filum & nexus doctrinæ habetur, minori negotio legere, & majori haud dubio fructu. Aut, si e re discipulorum non sit, lectione plurium auctorum obrui; potest magister, quæ ad rem legendo percepit, in prælectionibus proponere ceu apis sedula: cum sic magnum otium ei accedat, legendi colligendique doctrinam non solum discipulis necessariam, sed etiam doctori congruentem, ex qua cum judicio & sagacitate promere possit captui discipulorum proficua. Aliter tamen persuasus fuisse videtur laudatus POSSEVINUS. *Ipsis, qui prælegunt,* idem inquit POSSEVINUS (a), *occasio demitur, qua serio materias excutiant, ut qualis fons, talis inde necessario aqua, turbida nimirum ac sordida, scaturiat; quin deni-*

(a) Loc. cit.

denique & antiquiores, ac perspicaciores interpretes; contextusque auctoris omittuntur. Alias vero professor occupatus, scripta compilando, facile se studiaque sua, & profectum negligit; ut deinceps, postquam optimam ætatem docendo consumsit, ineptus reddatur, eos ferre fructus, quos forte orbis litterarius ab eo exspectare potuisset.

Tum pro discipulis.

IV. Non minus discipuli onere & sarcina scriptorum gravantur, & a profectu haud parum retardantur: dum necessum eis est bonas horas scribendo consumere iis rebus, quas interim repetita sæpius lectione optime memoriæ commendare, imo vix non memoriter ediscere quivissent. Et quia scripta solent, quam celeriter fieri potest, dictari; cogitationes potius distinentur in scriptione, quam scriptorum sensu, & intellectu. Quid? quod characteres ita properanter, præcipitanterque efformati, nonnisi improbo labore deinceps legi possint, qui magnam in ipsa lectione attentionis partem ad se rapit. Plerumque vero discipulis stomachum creant scripta male scripta, ut aut omnino non, aut cum fastidio legant; præsertim vero, quando semel scholas deseruerunt, ubi longe magis volupe est, per-

spi-

ſpicue pulchreque effictos typos, quam miſere exaratas ſcripturas verſare; cum ſemper fere major doctrina & eruditio, inſignior ordo ac methodus, melior nexus in libris cum ſtudio & diligentia toti orbi litterario propoſitis reperiatur, quam in ſcriptis ſæpe ſine ſufficienti judicio, & arte conſutis, corraſis hinc inde fragmentis, atque emendicatis panniculis. Quod vix aliter fieri poteſt, cum tempus elaboratius aliquid, & ſuo Marte confectum procudere plerumque non permittat. POSSEVINUS (a) laudato paulo ante loco præter hæc alia quoque in hanc rem annotavit.

(a) Qui, *inquit*, dictata excipiunt, ſi nimiæ ſcriptioni ſeſe immerſerint, cum capita rerum notaſſe ſat eſſet, haud minima damna patiuntur; primum quod ſcriptis fidunt plus, quam ut res animo comprehendant; ſæpeque id verum ſit, quod vulgato, & ſimplici, ſed tamen vero carmine, dicitur: quodſi charta cadat, ſecum ſapientia vadat. Præterea & ipſe dicendi ſtilus, ac bene litteras formandi ratio abjicitur, quam enim ſcribendo celeritatem adhibent adoleſcentes, ea fit, ut nec manus deinceps recte aptetur, nec in auctoribus ipſis ſtilus ac dictio animadvertatur: qui cum eleganter ſcripſerint, ſæpe barbare explicantur a præceptoribus, ac mixtim, quod ex alienis laboribus, ut diximus, ſua commiſceant, multi vero pariant, quæ non parturie-

MensMABILLONII exponitur ratione ſcriptorum dictandorum.

V. MABILLONIUS ſuaſit, ut magiſter primum ſaltem philoſophiæ curſum edocendo, auctorem aliquem typis excuſum explanaret, ſeu etiam alterius profeſſoris ſcripta dictaret. Quæ ſi ita ſint, ut quid non etiam dictare queat ab alio typis datum aliquod ſyſtema? Imo nec hoc eſt inauditum, quamvis pudendum: cum tamen fructus profectusque par haberi poſſit ex ſcriptione ſyſtematis ſcholaſtici, ſive manuſcriptum illud ſit, ſive typis expreſſum; quin major, ſi hoc illo excellentius ſit, quod plerumque contingit. Quare ergo MABILLONIUS illud, & non iſtud ſuaſit? Sola fama, & exiſtimatio magiſtri

turierunt. *Quam rem cum paritatibus illuſtraſſet, addit poſtea:* Atqui cum vix percipi poſſit, quod tam celeriter, aut decurtatis dictionibus ſcribitur; ipſa ſcriptio, vel potius corruptio exequiæ ſunt laborum: præterquam quod, qui labor in apparatus & reliqua hujusmodi impenditur, is non ſemel irritus eſt: quod eo in genere plerique libri jam evulgati ſint, & quidem multis nominibus perfectiores, quam noſtri. Quamobrem, ſi antequam ſcriptione conficeremur, a DEO lucem a peritis notitiam eorum hauriremus, magnum eſſet compendium &c. Refert etiam ibi academiæ Pariſienſis & Societatis JESU conſultum pro prælegendo. Etſi in academia Pariſ. & Lovanienſi refloruiſſe dicatur paucis ab annis mos ille theoreticam in calamum dictandi.

ſtri in cauſa eſſe poteſt, aut certe temporis dilapidatio, quæ in deſcribendo auctore millenis vicibus incuſo fieret: quæ tamen ratio in dictando qualiacunque ſcripta itidem obtinet. Præterea iſto ſuo conſulto MABILLONIUS manifeſtum fecit, probe ſe ſecum reputaſſe, animoque perpendiſſe, quod nos paulo ante diximus, vix in primo cumprimis ſtadii ſcholaſtici curſu animum ſatis præparatum, & ſufficienter inſtructum afferre poſſe eum, qui theologiam, aut etiam philoſophiam traditurus eſt. Ut adeo in hoc conſentientem habeamus ſummum virum. Imo conjicere licet, ac ſuſpicari, MABILLONIUM, qui non minore animi moderatione ac humilitate, quam ſapientia, & eruditione ornatus fuit, mori & conſuetudini deferendo noluiſſe contra torrentem ire, aut refragari uſui communi ſui temporis.

VI. Hac in animi perſuaſione de mente MABILLONII magis confirmari forte queat, qui allatas ab ipſo cauſas, & rationes opinionis conſideret. Quod enim primum ait, difficillimum fore magiſtro, auctoris cujusdam opiniones mere explanare, eoquod futurum non ſit, ut omnes arrideant: Ajo, neque neceſ-

Expenditur prima MABILLONII ratio pro ſcriptis.

ſarium eſſe, ut omnes arrideant. Quid enim prohibet, ſolutis cauſæ firmamentis ab auctore propoſitis, contrariam amplecti opinionem in illis materiis, quibus licet in utramque partem opinari? Quamvis putemus, dum prima traduntur artis principia, in ejusmodi rebus, nec multam operam ponendam, nec frequentem, præſertim in theologia, ſed potiſſimum occupari in rebus neceſſariis, & dogmatibus conſtantibus; ne illis neglectis juvenum ingenia præjudiciis opinionum imbuamus. Quodſi tamen profeſſori viſum fuit, his aut aliis occaſionibus ſuas promere ſententias, poterit illas per otium, quo abundat, brevibus ſchediaſmatis complecti, diſcipulisque ad legendum, aut ſi e re ſit, etiam ſcribendum tradere.

Item altera.

VII. Quod alterum attinet rationis momentum a MABILLONIO propoſitum, ac ſi parum auctoritatis exiſtimationisque ſibi magiſter conciliet, niſi ſcripta proprio Marte iisdem tradat: niſi me omnia fallant, puto docto, ac gnavo profeſſori occaſiones haud minores adeſſe, ſe doctrinamque ſuam & eruditionem diſcipulis probandi, hincque neceſſariam doctoris egregii famam & exiſtimationem comparandi: ſi nimirum

otia

otio ſuo utatur ad aſſequendam doctrinæ copiam, eruditionisque amplæ ſupellectilem, quam commode horis prælectionis proferat; cum prælectiones cumprimis præperatum animum efflagitent, & ſatis inſtructum, ſi digna quis diſcipulis proponere geſtiat, & ſelecta, atque id ordine, & opportune; ut hoc modo pulcherrime ſtet magiſter, arrigentibus diſcipulis aures, animisque eruditionem demirantibus, & dicendi facultatem, dicendorumque copiam. Quodſi etiam neceſſarium videatur, hanc exiſtimationem ſcriptis conſequi, multo melius hoc præſtare poterit, ſi nonnunquam elaboratum & doctum meletema diſcipulis offerat, quam ſi ex aliorum identidem laboribus conſarcinatum centonem obtrudat.

VIII. Hoc modo etiam ſupplere illud commodum poterit prudens & ſapiens magiſter, quod alias per ſcripta obtinetur, ea diſcipulorum ſuorum ingenio conformando; ſcilicet, quod auctori in hunc finem deeſt, propria induſtria aut calamo, aut ore perficiendo. Si enim dotibus ingenii ad hoc inſtructus ſit, non deerunt conſilia, & induſtriæ, quibus quovis demum modo hoc effectum eat. Quamvis diffitendum non ſit, Ac tertia.

sit, hoc præcipuum esse, quod suadere posset in calamum dictandi morem, institutiones scholasticas sive philosophicas, seu theologicas, quod eæ ingeniis discipulorum conformari valeant. Consultum ergo est, ut saltem, quæ accommodatiora discipulis novit professor propriis scriptis superaddat, observationes proprias in calamum dictet, aut in compendium redigat, quæ alibi diffusius habentur locis & auctoribus citatis, ubi plura haurire discipuli queant, dummodo diligentiam in se desiderari haud patiantur. *Qui officio suo*, inquit DU-PINIUS, (a) *rite funguntur professores, non minorem diligentiam & attentionem adhibent, ad solidum scriptum pro discipulis suis conficiendum, quam multi auctores faciunt in scripto publico. Si tanta illud elegantia non efforment, tamen sic satagunt, ut captui incipientium illud magis accommodum, methodoque scholæ convenientius efficiant, & paucis paginis res multas complectantur. Quapropter hæc usu jam olim recepta & ante inventas typorum formas necessaria consuetudo, qua discipulis aliquid ad eorum informationem in calamum dictatur, reprehendi vel rejici in totum nequit; sed curam atque operam impendant professores, ut nihil inutile, & quod ad scopum non*

(a) Meth. stud theol. recte instit. c. 25.

non pertineret, in chartas conjiciendum mandent, atque ut scripta isthæc, quantum fieri potest, in arctum contrahant; ne discipulis suis nimium in scribendis prolixis tractatibus negotii facessant; sed curent ut ad impressa eos remittant, ubi materiæ, de quibus loquuntur, fusius tractatæ sunt; ut nihil allegent, nisi quod ad decisionem rei confirmandæ stricte pertineat; utque verbis paucis multa eloquantur.

IX. An vero scientiæ vividius discipulorum mentibus imprimantur, si calamo exarentur, quam si pure legantur, propter distractiones, quæ prælegendo non satis cohiberi queant, adhuc disquirendum superest. Et sane admitti debet, nudam lectionem, præcise in otio factam, evagationibus mentis multo magis obnoxiam esse, quam scriptionem. Nec illud prætereundum, idem distractionum periculum maxime apud volubilia juvenum ingenia subesse, in explicationibus a professore inter prælegendum faciendis. Ut enim hujus rei gnari observarunt, quæ quis e suggestu in auditorum cœtum spargit, vel per auditorum oscitantiam non audiuntur, vel non intelliguntur audita, & ut intelligantur, vix millesima pars sunt eorum, quæ sibi præcipue explicari audi- Quarta.

tores

tores postularent. Verum huic incommodo obviam ire commodis remediis facile poterit sagax magister.

Ratio prælectionum ut debita discipulorum attentio, & eruditio comparetur.

X. Non unam attentionem auditorum conciliandi suggeret industriam magister usus. Illud in hac palæstra exercitati præprimis consulunt, ut familiari colloquio explicatio quantum fieri licet, transigatur, qua nimirum methodo optimi quique artium magistri inde ab antiquissimis temporibus scientias tradiderunt, ipse SOCRATES, PLATO, ARISTOTELES, ac summi quique philosophi. Faciendum etiam est, ne discipuli elingues sedeant; sed ipsi dubia moveant, difficultates proponant, majorem obscurorum explanationem petant. A magistro prælegente etiam pro sua mente explananda rogentur, dictorum repetitio petatur, item solutio objectionum ex præcedentibus pendens, & quæ sunt alia sexcenta, quæ occasio præbebit ad manus attentionis conservandæ consilia. Ipsa etiam prælectio explanandorum tum a discipulis antea facta, tum a professore, jam mentes disponit, animos attentos reddit, voluntatem erigit, ingenium acuit, ut cum explicare incipiat instructor, omnia clarius patescant, facilius capiantur, solidius imprimantur, & sollicitius conserventur.

XI.

XI. Præſertim ſi poſthac tempore ſuperſtite, ea, qua par eſt, diligentia, relegantur, ruminentur, & recoquantur explanata, iterumque ſtatis ad repetitionem per ſeptimanam & menſem horis toto fere fonte exhauriantur: quibus examinibus præter ordinarias repetitiones ad dictorum confirmationem explicationem &c. de ſeptimana in ſeptimanam, de menſe in menſem, aut poſt ſingulas abſolutas præcipuas materias factis, nihil fructuoſius excogitari queat.

Repetitionum exercitium commendatur.

CAPUT II.

De exercitiis collegiorum, declamationum, diſputationum, earum modo & præſtantia.

I. Ad inſignem profectum faciendum ſolæ prælectiones non ſufficiunt. *Qualibuscunque ingeniis*, ſunt verba POSSEVINI (a), *magnopere ſemper obfuit, cum defuerunt præceptores officio exigendi a diſcipulis penſum, repetitione, collatione, reſponſione (quotiescunque interrogantur) ac diſputationibus. Quemadmodum enim perfecta agri cultio non*

Inſignis, ac late patens collegiorum uſus.

(a) Bibl. ſel. c. 31.

non est, si quis aret tantummodo, aut serat, sed tellure tegendum est semen; sic non recte excoluntur ingenia, si post prælectiones publicas, ea, quæ dixi, non adhibeantur. Exercitio prælectionum proxime adjungi debent COLLEGIA. Horum usitatam hactenus apud optimos quosque doctores (nam eorum non uniusmodi est ratio) formam in ipsis etiam prælectionibus sequi, imitarique queant magistri: cum non solum ingenti studiosæ juventutis profectu ac emolumento in scholis & academiis hactenus obtinuerint, verum etiam eorum opera, & adminiculo solo plurimi disciplinis instructissimi evaserint. Possunt autem hæc collegia varia esse, usu & opinione doctorum. Imprimis ubi non videtur corpus totius alicujus disciplinæ in collegiorum forma transigendum, utilissimum tamen fuerit, in collegio ad hoc instituto, quæ in prælectionibus tractata sunt, repetere, examinare, ac inculcare sub eruditi & prudentis præsidis ductu: aut etiam sub tali præside principaliores causæ, materiæ, ac controversiæ sapienter edisseri queant. Cujusmodi collegia in theologia plura habenda sunt, polemicum, dogmaticum, cumprimis vero biblicum, in quo præses libros biblicos analy-

analytice exponat, & ad ſingula cujusque libri capita quæſtiones maxime neceſſarias moveat, ac determinet. Novi etiam in quadam academia percelebri collegia ex locis theologicis perpetua vigere, conſuetudine non tam diuturna, quam longe utiliſſima.

II. Collegia illa, conferentiæ, ſeu collationes, quarum varias ſpecies ac formas refert MABILLONIUS ſuo de ſtudiis monaſticis tractatu, ſunt alterius loci, alia a me occaſione tractanda, cum DE OTIO CLAUSTRALI RELIGIOSORUM, item DE OTIO RURALI CLERICORUM quædam diſſerere licuerit: Sunt enim collationes iſtæ non gymnaſmata ſcholarum, ſed exercitia virorum, qui pulvere ſcholaſtico excuſſo ad altiorem eruditionem aſpirant. Cujuſmodi multas ab eruditis viris, aut zeloſis paſtoribus, celebratas recenſet laudatus MABILLONIUS, ac ipſe etiam novi cujusdam generis conſilium dat monachis magna ſciendi cupiditate flagrantibus: ſi nempe tres aut quatuor ſingillatim varia ejusdem materiæ verſarent volumina, proprio captui, geniove magis conſentanea: hique ſemel aut bis per hebdomadam conventum celebrarent, conferendi gratia de illis, quæ ſinguli

Alia collegiorum genera inter viros eruditos, & eccleſiaſticos.

inter legendum notassent, vel circa dubia, quæ sibi obvenissent, ut sic se mutuo consulentes ea mature resolverent. Similis mos in congregatione SS. VITONIS & HIDULPHI viget. Refert porro idem MABILLONIUS modum Parisiis usitatum in conciliorum studio, qui facile ad historiam etiam ecclesiasticam aptari queat: secundum quem sodales singuli eodem studio distenti, eodemque ordine, convenientes quique dubia proponerent, & conferrent. Item alterum parochorum Parisiensium puncta quædam discutienda proponentium cujuslibet anni initio, qui deinde singulis mensibus in unum convenientes vicissim conferant de iis. Apud multos Germaniæ pastores quotidie etiam in vicinia nostra magis mos iste efflorescit. Huic affinis est sodalitas doctrinæ christianæ a D. CAROLO *Borromæo* instituta: ac illa ab ALEXANDRO *Caniginiano* in archiepiscopatu Aquensi, uti habetur in conc. prov. Aquensi an. 1585. *Tit. de vic. foran.* distributis nimirum vicariis foraneis in certas diœcesis regiones, quarum singulæ octo circiter complectuntur parochias, in quarum medio vicarii isti sedem figentes singulos parochos, aliosque sacris ministeriis addictos clericos, semel unaquaque hebdomada congre-

gre-

gregent, ac invocato divino Numine paſtorales exhortationes nunc per ſe, nunc per alios haberi curent: Capitulis poſtea caſuum conſcientiæ propoſitis, & diſceptari ſolitis, tum etiam difficultatibus, quas quisque habet, communi collatione ad examen revocatis, & reſolutis: Invigilante vicario foraneo moribus, & miniſteriis parochorum, & aliorum ſibi commiſſæ regionis ſacerdotum; præterea cultui & reparationi eccleſiarum; de idoneis, aut incapacibus ad ſacros ordines recipiendis. Quodſi praxis hæc perſuaderi poſſit parochis ruralibus, aut clericis civitatenſibus, utilius locabitur tempus, quam conventibus hactenus inter ejusmodi ſacras perſonas inſtitutis. Præſertim ſi communi ſumtu in hujusmodi conventus loco, aut ſaltem amplioribus decaniis, vel civitatibus, bibliothecæ quædam ad communem uſum adornarentur. Sed hæc alias. Addam alterum collationis modum ex MABILLONIO, ſi monachus aliquis, multa eruditione præſtans, materiam quandam pertractaret, & quolibet in congreſſu de ea ſermocinaretur, difficultates enodando, quæ ſibi identidem objicerentur. Aut ſi etiam plures ſermocinarentur de præfinita aliqua materia, ita ut unus materiam late exponat

& asserat, alter dubia in contrarium proponat, tum prior ea solvat &c.

Aliud exercitium scholasticum pene neglectum, nimirum declamationum.

III. Hoc postremum collationum genus commonet nos exercitii cujusdam scholastici pene neglecti. Intelligo autem declamationes gymnasticas seu tractationem quæstionis cujusdam oratoriam a peritis commendatam, discipulisque præscriptam, cumprimis theologis, ad augendam intelligentiam rerum sacrarum, firmandam memoriam, & comparandum habitum coram aliis de rebus tantis libenter, animoseque dicendi: tum etiam ut studiosi stilum exerceant, ac progressus alicujus sibi conscii, ad majora suscipienda incitentur. Possunt autem sodales studiosi vel singuli in singulis argumentis tali ratione se exercere, aut alter alterius argumentum censere, ad examen revocare, confutare, confirmare, sicque mutuam sibi præstare operam, & quasi attritu lapidum tum ignem pietatis, tum lucem ac splendorem doctrinæ christianæ, ac sinceræ religionis elicere. De hoc exercitio copiose egit *Andreas* HYPERIUS (a), & post eum LAURENTIUS *a Villa Vincentio*, ex quibus pauca de præstantia ejus

(a) De ratione studii theol. L. III. c. 7.

ejus adſcribam. *Quam autem*, inquiunt, *hæc exercitatio theologiæ candidatos deceat, non ex eo ſolum liquet, quod eos, qui docturi ſunt populum in eccleſia, valere benedicendi arte atque uſu neceſſum ſit, verum etiam, quod ex præſtantiſſimis theologis veteribus plerique rhetoricen publice olim ſunt profeſſi, nec non præclara exempla orationum incredibili artificio elaboratarum poſt ſe reliquerunt; quæ profecto optaremus tyronibus declamaturis interdum proponi &c.*

IV. Iidem auctores ceu ſororem declamationi jungunt diſputationem. *Hujusmodi exercitiorum*, inquit (a) LAURENTIUS a Villa Vincentio, *duo ſunt genera cumprimis celebrata: alterum in diſputationibus, alterum in declamationibus poſitum: ſunt vero vel eo nomine diligentiſſime in ſcholis proponenda... quod in iis cardo profectus ſtudioſorum vertitur: Neque enim quantum promoverint, quidve humeri valeant, quid ferre recuſent, percipere adoleſcentes unquam poterunt, niſi aliquandiu in hujusmodi progymnaſmatis virium ingenii periculum fecerint. Sæpe compertum eſt eos, qui exiſtimabant ſe egregiam navaſſe in ſacris litteris operam, & confidebant de quovis argumen-*

De utrisque exercitiis declamationum & diſputationum.

(a) De rat. ſtud. theol. L. III. c. 6.

gumento theologico, five apud populum, five in cœtu condiſcipulorum, poſſe cum laude diſſerere, cum aliquid efficere meditarentur, quoniam neque diſputationibus, neque declamationibus ſeſe exercuerant, coactos cum dedecore pene dixeram cum multorum riſu, & ſibilis re infecta abire. Conferta ſunt iſtæc verba præclaris documentis: duo exercitiorum genera theologiæ candidato ſummopere commendata intelligimus, declamationum, & diſputationum. Declamationum uſus, quibus argumenta theologica perpetua oratione pertractata intelligit, an uſpiam apud noſtrates obtineat, haud ſcio: diſputationibus vero omnes fervent ſcholæ. Jam indagandum eſt, rectene, an ſecus diſputationes declamationum loco ſtabilitæ ſint, & utrum horum exercitiorum alteri præſtet utilitate.

Utraque hæc uſitata veteribus.

V. Qui, quæ veterum philoſophorum diſcutiendi ſua placita fuerit ratio, non ignorat, facile advertet, ambas has exercitationum formas apud antiquos illos obtinuiſſe, atque in chriſtianas ſcholas, ut pleraque tanquam Ægypti ſpolia, traductas fuiſſe. Utriusque morem nobis deſcribit libro ſecundo de finibus CICERO, qui complura Græcæ philoſophiæ argumenta in Latium intulit.

Quo

Quo ex loco cumprimis discimus, eos philosophos, qui scholam aliquam explicassent, solitos esse poscere in conventu quæstionem, id est, *jubere dicere, qua de re quis vellet audire.* Quod primum, ut idem asseverat, ausus est *Leontius* GORGIAS sequi institutum, postea etiam ad Latinos translatum philosophos. Sed cum iste mos eorum maxime esset, qui sophistæ tum nominabantur, jam olim a SOCRATE, ex PLATONE cognoscimus, ejusmodi sannis exceptos esse. Ex eodem CICERONE etiam discimus, hunc morem plerorumque philosophorum antiquorum maxime Academicorum fuisse, ut unus quæstionem moveret, alter perpetua oratione responderet.

VI. Tradit idem CICERO SOCRATEM percontando, atque interrogando elicere solitum eorum opiniones, quibuscum disserebat, *ut ad ea, quæ ipsi respondissent, si quid videretur, diceret.* Istum morem, cum a posterioribus non esset retentus, ARCESILAM revocasse commemorat laudatus CICERO, instituisseque, ut *qui se audire vellent, non de se quærerent, sed ipsi dicerent, quod cum dixissent, ille contra. Sed qui audiebant, quoad poterant, defendebant* De methodo Socratica seu Erotematica.

ſententiam ſuam. Ipſe in libris ſuis philoſophicis utramque eſt ſecutus, & declamatoriam, & Socraticam in diſputando. Qua de re primo Quæſt. Tuſcul. libro ita loquitur, methodum Socraticam explicans: *Ut enim*, inquit, *ante declamitabam cauſas, quod nemo me diutius fecit: ſic hæc mihi nunc ſenilis eſt declamatio. Ponere jubebam, de quo quis audire vellet; & id aut ſedens, aut ambulans diſputabam... fiebat autem ita, ut cum is, qui audire vellet, dixiſſet, quid ſibi videretur, tum ego contra dicerem. Hæc eſt enim ut ſcis, vetus & Socratica ratio contra alterius opinionem diſſerendi. Nam ita facillime, quod veriſimillimum eſſet, inveniri poſſe SOCRATES arbitrabatur.*

Concertationes noſtri ævi de Socratica vel ſyllogiſtica methodo.

VII. Noſtra ætate, & proxima multum eſt diſceptatum, utra diſputandi methodus melior accommodatiorque, an hæc, quæ ab auctore Socratica dicitur, a modo autem per quæſtiones, & reſponſiones *erotematica* nominatur; an altera per ſyllogiſmos: communiter tamen hæc probatur, quod diſputantes intra orbitam contineat, ſimulque præſtet, ut argumenta & rationes mentem diſtributius ſubeant, ut ita reſpondens fontes errorum felicius detegere queat, cum per methodum *erotematicam*

per-

perquam facile opponens vel respondentem, vel respondens opponentem, in fraudem abducat, ut notarunt periti dialectici; per syllogismos autem optime disputationibus scholasticis modus ponatur. *Nam*, ut inquit GAUSSENUS(a) *ni communis linea ducatur, ad quam pugnetur, ut sunt hominum ingenia cedere plerumque nescia, tota res in clamores & strepitus incompositos abibit: eorum tantum religionem seu superstitionem non probamus, qui eam sibi & aliis conditionem ferunt, legemque iniquam ponunt, ut si se sophista intra paralogismi latebras abdiderit, eum ex hisce tenebris non aliter, quam per umbraticas dialecticorum formulas, extrahere fas esse putent.* Id ab aliis tamen est consultum, ne ita absurdi simus, ut cuncta ad formam redigi jubeamus syllogisticam, hisce solummodo pugnemus armis: imo relictis aliis exercitiis, etiam declamationibus, hoc unum sequamur; quamvis illi major pars otii nostri attribui queat, quia præstat, utiliusque est.

De disputationum utilitate præ declamationibus.

VIII. CICERO de hac re egregiam tulit sententiam, quam hic afferam, non quod hominis gentilis auctoritati aliquid tribuam, sed quod CICERONIS ratio-

 nes

(a) De utilitate philosophiæ ad theologiam.

nes rem evincant, atque extra dubium ponant. *Ego autem arbitror*, inquit ille eodem libro ſecundo de finibus, *quamquam admodum delectatus ſum ejus* (TORQUATI) *oratione perpetua, tamen commodius, cum in rebus ſingulis inſiſtas, & intelligas, quid quisque concedat, quid abnuat ex rebus conceſſis concludi, quid velis, ad exitum perveniri; cum enim fertur quaſi torrens oratio, quamvis multa cujusque modi rapiat, nihil tamen teneas, nihil apprehendas, nusquam orationem rapidam coerceas.* Tum & ſequenti libro, & aliis compluribus in locis in eandem ſententiam mentem ſuam exponit. Et quoniam ille popularibus quæſtionibus, & forenſibus cauſis enutritus in philoſophicis etiam ſuis lucubrationibus alterum illum perpetuæ orationis modum eſt ſecutus, quemadmodum ipſe ſe de hac re accuſet, audiamus, & damnet: *Ut hoc pulcherrimum eſſe judicem*, inquit in LUCULLO, *vera videre; ſic pro veris probare falſa, turpiſſimum eſt. Nec tamen is ego ſum, qui nihil unquam falſi approbem, qui nunquam aſſentiar, qui nihil opiner: ſed quærimus de ſapiente. Ego vero ipſe & magnus quidem ſum opinator (non enim ſum ſapiens) & meas cogitationes ſic dirigo non ad illam parvulam cynoſuram,*

Qua

Quâ fidunt duce nocturna phœnices in alto, ut ait ARATUS, *eoque directius gubernant, quod eam tenent,*

Quæ cursu interiore, brevi convertitur orbe:

sed ad Elicen, & clarissimos septemtriones, id est, rationes has latiore specie, non ad tenue elimatas. Eo fit, ut errem & vager latius. Multa egregia sententia ista complectitur, & quæ ad propositum nostrum apprime quadrent, quæ hic articulatius expendere juvat.

IX. Sed primo agamus argutiam illam discutiamus quam ex ARATI versu concinnavit, qua nihil legi unquam acutius elegantiusque dictum, politius excogitatum. Cynosuram, quam jam *polarem* nominamus, quod proxime polo adhæreat, constat esse stellam, ad quam hodiedum etiam nautæ suum cursum dirigunt, cum hoc a Phœnicibus primum esset factitatum, ut is ipse a CICERONE allatus ARATI declarat versus. Est autem stella istæc ad caudam ursi minoris ad septemtrionis polum proxime posita; unde etiam nomen compositum est cynosuræ: id est κυνὸς οὐρὰ, quasi *canis cauda*, quod ursa minor, ut alibi idem affirmat CICERO, cauda potius canina, quam ursi prædi- Explicatur locus CICERONIS de hac re.

ta

ta sit: quæ, quoniam axi propius adjuncta, *interiore cursu*, ut ARATI verba sonant, *brevi convertitur orbe*: ea nempe cœli parte, quam sibi, ut est in *Bucolicis* VIRGILII (a), MENALCAS alter de præstantia inter se contendentium pastorum vult his verbis indicari depositis proemiis:

Dic quibus in terris (& eris mihi magnus Apollo)
Tres pateat cœli spacium, non amplius, ulnas.

Quam ob causam nautis quam aptissima est, ad quam respiciendo, qua orbis plaga versentur, & quo cursum dirigant, possint discernere; cum cæteræ stellæ longius evagentur: cujusmodi Elices, seu septem illi triones, qui in ursa, ut vocant, majore sunt constituti, & nomen etiam plagæ boreali indiderunt, ut septemtrio diceretur. Igitur ut ad rem veniamus, seipsum redarguit CICERO, quod, dum philosophatur, non Phœnicum peritissimorum nautarum exemplo cogitationes suas ceu ad cynosuram illam parvulam, *ad tenue elimatas*, sed ad Elicen, clarissimosque septemtriones, id est rationes illas dicendi *latiore specie* circumductas dirigat, cum illi eo *directius gubernent*, *quod eam*

(a) Ecclog. IV.

eam tenent, quæ curſu interiore brevi convertitur orbe, ipſe autem erret, & vagetur latius, ſatisque magnus exiſtat opinator, qui certo vix aliquid apprehendat; nec ſapiens ſit talis, cui ſua ſint penitus explorata, & inconcuſſa. Qua in ſententia illud etiam optime explanavit, quod poſtea ex ZENONE retulit & ARISTOTELE, quorum opinione omnis vis loquendi in duas partes tributa ſit, rhetoricam palmæ, dialecticam pugno ſimilem, quod latius loquerentur rhetores, dialectici autem preſſius. Quæſtionem hanc etiam movet DU-PINIUS in utiliſſimo libro de methodo ſtudii theologici recte inſtituendi *c.* 25. Sitne conveniens per objectiones & reſponſiones ſcholaſticas diſcipulos actibus publicis exercere, ubi argumenta in forma proponant, atque reſolvant? An magis ex re ſit, eos lectionibus theologicis ad eam rem componendis tentare vires? Aut dubia ſua paucis ac ſimplicibus verbis proponere, formæ ſcholaſticæ ſe non adſtringendo? Quæ de medio illo exercitii genere Pariſiis & alibi uſitato, pro exercitatioribus maximæ utilitatis, dicit, notanda probe ſunt, quo ſuo Marte ad componendum adſtringantur. De eo autem, quo de modo agimus, ſic ſciſcit. *Sed*

nec

nec illud inficiandum est, quod objectiones & responsiones publicæ, prout methodus scholastica fert, tam ad ingenium exercendum, emendandumque, quam ad proponendas resolvendasque difficultates verbis paucis, modo accurato, limatoque, ita ut a via ne aberremus, permultum conferant, quia disputans hac ratione cogitur directe concludere, propositionemque negatam probare, aut datam distinctionem impugnare, donec difficultas exspiraverit. Egregia deinceps affert ad rite instituenda, & cum fructu, ea exercitia, quæ legi omnino merentur, quemadmodum alia etiam, quæ de variis exercitiis publicis & privatis in academia Parisiensi a multis sæculis usitata sunt.

CAPUT III.

De exercitio disputandi singillatim, quomodo illud rite instituatur.

Quare de disputandi exercitio pluribus agendum ducamus.

I. De isto disputandi exercitio, prout ad theologiam attinet, pluribus jam agere propositum est: non tantum ea de causa, quod utilitate præstet: sed multæ aliæ sunt rationes, quare tractationem istam potissimum arti disputatrici tribuamus. Primum ejus frequen-

frequentiſſimus uſus hoc requirit: deinde vitia in illam illapſa, & perverſus ejus uſus iſtud flagitat. Demum ac potiſſimum, quod theologia potiſſimam ſui partem ſit argumentativa, cum non ſit tantum νοητηκὴ, ſed etiam διανοτηκὴ, atque ex principiis ſuis concluſiones eliciens. *Colligit enim theologus*, inquit CANUS (a), *ex principiis fidei a DEO re-* a
velatis concluſiones ſuas, atque in principiis ipſis implicitas per argumentationem naturæ conſentaneam explicat. Et ut D. THOMAS dicit (b): *Ex articulis fidei hæc* b
doctrina ad alia argumentatur. Quod ita inſitum theologicæ facultati putavit *Emmanuel* CALECAS, ut cum NICEPHORUS, ac alii quidam Græci non ante multa ſæcula argumentationes exeſſe ex theologia juberent, quod naturæ humanæ proprium eſt, ac conſociationi, e medio hinc tolli ediceret. *Qui ſyllogiſmos*, (c) inquit oratione in hanc rem c
habita, *& argumentationes penitus excludit a theologia, primum id quod humanæ naturæ proprium eſt, & hominum inter ſe colloquium & communionem tollet e medio: tum beatum PAULUM redarguet reprehendentem eos, qui ex aſpectabilibus rebus*

(a) De loc. theol. L. VIII. c. 2.
(b) P. I. q. 1. a. 8. ad 1mum.
(c) Apud PETAV. Prol. theol. dogm. c. V. n. 3.

rebus de DEO ratiocinari aliter minime potuerunt, & ex creaturis agnoſcere creatorem. Vitio id etiam vertet theologis, ſive de iis, quæ ad hypoſtaſes attinent, ſive de divinis proceſſionibus diſputantibus; quin ipſius ſalvatoris ſententiam labefactabit, qua ſcrutari ſcripturas jubet. Perſpicuum eſt enim, eum qui ſcripturas perſcrutatur, non niſi argumentando legere.

Neceſſitas philoſophiæ, præſertim dialecticæ in diſputando.

II. Atqui hinc ſumma enata eſt neceſſitas non ſolum dialecticæ (cujus ope, tum in ſingulis ſcripturæ commatibus deliteſcentia argumenta eruantur, tum ex dogmatibus etiam concluſiones rite elicerentur) verum etiam metaphyſicæ, ac reliquæ philoſophiæ, quæ generaliſſimos explicet terminos, quorum maximus uſus eſt in diſputationibus theologicis; eoquod theologi in ſuis diſputationibus, quæſtionibusque multa in philoſophia diſputata ſupponant, aut ex ea vel propter adverſarios, vel propter inolitum uſum theologica philoſophicis notionibus efferendi, aut etiam propter auditores lectoresque diſputare cogantur. In quo tamen dialectica omne fert punctum, utpote, qua omnis diſputandi ratio vergit, præſertim in adverſariorum paralogiſmis detegendis: ſive veri illi ſint hoſtes, ut in rebus fidei hæretici, in aliis quæſtioni-

bus

bus etiam orthodoxi; ſive tales, qui exercitii tantum cauſa ſe adverſari fingunt. Et quoniam fieri nequit, ut veritas non ſit uniusmodi, ſemper apud unam partem perverſæ ratiocinationes exiſtant, oportet, quæ logico artificio extricantur: ſive error malæ partis conſiſtat peccato in logicam, hoc eſt, in ipſa forma argumentandi verſetur; ſive contra propoſitum dogma ac theſin, aliasque veritates pugnet in *materia*.

III. Hac arte inter diſputandum dirigi debemus in proſequenda veritate, quam ceu unicum finem diſputantes ſibi proponere debent, non ut victoriam obtineant, & adverſarium ad ſilentium redigant, ſed ut diſputandi contentione, & operoſa indagatione veritas eluceſcat, & vincat. Studioſi autem, in hac palæſtra jugiter exercitati, apti ac habiles redduntur, haud ſecus ac milites armorum exercitiis, ad eam ſtrenue tuendam, aut obſeſſam expugnandam: per ejusmodi etiam exercitia diſputatoria, cum ad munera academica, tum ad omnis generis ſtudia, felici ſucceſſu tractanda, rite præparantur, atque, quantum in arte & ſcientia profecerint, publice oſtendunt. His aliisque de cauſis diſputationum exercitium inſtitutum eſt, & quamdiu

Diſputationes in quem finem ſuſcipiendæ.

C

diu recte constitutum mansit, hoc modo se habuit tum apud studiosam juventutem, tum apud eos, qui veritatis

a disquirendæ studio abripiebantur. (a)

Quid disputantes inter se maxime spectare debeant, & observare.

IV. Quodsi hoc animo ad disputandum accedatur, in hunc finem collimantes adversæ partes inter se congrediantur, optime locabitur tempus, in hoc exercitio consumi suetum. Opus est autem, ut præparati ad hoc accedant studiosi; utque ambo, & respondens, & opponens, sint gnari officii, & muneris sui. Uterque probe noverit ratiocinationum ac syllogismorum regulas; respondens quidem, ut data quavis occasione dextre ostendere queat, si propositam argumentationem in leges syllogisticas, sive generales, sive speciales, arietare contingat: opponens vero, ut sibi ab ejus-

(a) Fuerunt quidem olim, *ait Lud.* VIVES, *Lib. I. de caussis corrupt. art.* sed inter juvenes, institutæ disputationes, quo excitaretur vigor ille animi sæpe torpens, & alacriores essent ad studia, vel ut vincerent, vel ne vincerentur; tum ut altius infigerentur, quæ a magistris accepissent: inter viros autem natu grandiores fuit quædam opinionum ac rationum collatio, non ad victoriam intenta, sed ad enucleandum verum. Nomen ipsum testatur, dici disputationes, quod per eas veritas ceu putaretur, ac purgaretur.

ejusmodi vitiosis syllogismis caveat: ante omnia vero uterque materiam propositam disputationi exacte perspectam sibi reddere studeat. Ut enim recte sciscit VIVES libro de disputatione: *Caput est in omni altercatione, ut sciatur, quid positum sit in controversia, & de quo disputantes contendunt; alioquin enim temere ac ridicule multa ultro, citroque jactabunt.* Nisi hoc sedulo observetur, opponens facile in vitium petitionis principii, vel ignorationis elenchi labetur, & respondens nunquam solide argumento adversarii satisfacere poterit; haud secus, ac quando argumenti vis, & sensus non probe est cognitus; tunc enim vix aliter fieri poterit, quam ut in logomachiam disputatio delabatur. Quam ob rem institutum est, syllogismos singulos accurate assumere, ut appareat, respondentem mentem opponentis recte percepisse: quo officio vix perfungi potest is, qui argumenti arcem, & vim non perspicit. Aut certe continget, opponentem importuna responsione ab eo, quod est in quæstione, abduci, ut probare cogatur id, quod ad præsentem controversiam non pertinet, & ad cujus probationem se non præparavit. Quare status quæstionis semper ob oculos versari debet, & ad hunc limandæ, exigen-

dæque accuratiſſime tum reſponſiones, tum oppoſitiones: quæ ut eo fixius theſin propoſitam feriant, opponens laboret, ut theſin, quam impugnare vult, recte intelligat, & ſi vel minimum de ſenſu dubitet, ex reſpondente quærat, an non hoc, vel illud poſitione ſua ſignificare velit. Id etiam maxime inquirat, in quo ſita ſit arx cauſæ, & capitalis nodus: quo cognitio, atque huc facta irruptione, materia propoſita optime & ſolidiſſime diſceptabitur, ac præterea hoc modo mens idonea reddetur, veritatem etiam abſconditam invenire, de ea acute judicare, ac eam aliis perſpicue & eleganter, ſicubi opus eſt, exponere.

Quales materiæ eſſe debeant, de quibus diſputetur.

V. Nihil magis diſputantes ſollicitos habere debet, quam ut materiam dignam ad diſputandum afferant, quæ nimirum diſputationem in utramque partem ſufferat, nec ſit luce clarior, ut nihil contra eam opponi queat, aut a nemine unquam ſerio in dubium vocari. Deinde, ne pietati, & honeſtati ſit contraria, caveatur: unde merito ejusmodi quæſtiones exulare a diſputantium cathedris deberent, quæ DEO injurioſæ, aut auditoribus ſcandalo & offenſioni eſſe poſſint, e. c. DEUM non exiſtere, DEUM eſſe mendacem &c. Quæ

ſi

ſi etiam diſputationis cauſa afferantur, ut major veritati lux accedat, piis tamen auribus & linguis horrori ſunt. Sed tamen hominum perverſitas, quandoque invitos compellit hæc diſputare. Ab illis vero abſtinere tuto cuique licet, quæ verſantur circa res nihili, aut nullius, vel exigui uſus, utilitatisque. *Multi multum diſputant*, ut alicubi dicit (a) D. AUGUSTINUS, *de his rebus, quas majori prudentia noſtri auctores omiſerunt, ad beatam vitam nec profuturas diſcentibus, & occupantes, quod pejus eſt, multa prolixa & rebus utilibus impendenda temporum ſpacia.* Idem illud ad TITUM (b) verſans, ut a ſtultis quæſtionibus, genealogiis, contentionibus, & pugnis abſtineatur, in hunc modum loquitur: *Quibus reſpondeo, multum ſubtilibus, & laborioſis rationibus iſta requiri, ut vere percipiantur, utrum ita, ac non ita ſint: quibus ineundis ac tractandis nec mihi jam tempus eſt, nec illis eſſe debet &c.* Hoc nomine arguuntur moleſti & contentioſi ſophiſtæ, qui maxime abeſſe ex ſacerrimis theologiæ adytis debent, ubi non tantum loci religio, ſed etiam ampliſſimus digniſſimarum, utiliſſimarumque materiarum cam-

(a) Lib. II. de doct. chriſt.
(b) Tit. III. 9.

pus, & apparatus ſe offert in ſcriptu-
ris, eccleſiæ, conciliorum, ſanctorum Pa-
trum monumentis, quibus ceu terminis
continentur non ſolum ſedes & prom-
tuaria materiarum, ſed etiam argumen-
torum, ut paulo poſt pluribus oſten-
demus. Hoc ſolum monemus, ut ex
iſta etiam immenſa copia & ſuppelle-
ctili ea præ cæteris prudenti judicio ſe-
ligantur, quæ aut præſens adverſario-
rum inſultatio, aut aliæ circumſtantiæ
opportunæ ſuadebunt: quod ſedulo in-
ter alia monent, qui de hac re præce-
ptiones dederunt. *Quod ad materiam*
a *attinet*, (a) ſunt verba LAURENTII a
Villa Vincentio, *deligantur theſes, non
de rebus frivolis, aut abſurdis, quales fe-
re ſolæ hactenus in ſchola concrepabant:
non item de nimium ſublimibus, atque ar-
duis, ſed de iis, quarum uſus cognitioque
ad recte tum ſentiendum, tum vivendum
eſt neceſſaria, nec non quas pro temporum
ratione, & eccleſiæ ſtatu ſciri maxime ex-
pedit. Jo.* MALDONATUS oratione qua-
dam Lutetiæ habita inſignia de hac re
b præcepta tradit. (b)

VI.

(a) De ratione ſtudii theol. L. III. c. 6.

(b) Primum, ut nemo quidquam in ulla arte, niſi quod verum, aut probabilius eſſe putet, ad defendendum proponat. Alterum, ut nun-

quam

VI. Quodſi diſputantes, in uſum revocatis hisce præceptionibus, ſuas quoque proprias quasdam animi, & corporis dotes addant, pulchre conſiſtet diſputatrix diſciplina. Imprimis ut ad finem uſque actus diſputatorii mentem placitam atque ſedatam ſervent, & ita affectibus ſuis temperent, ne inter diſputandum nimium incaleſcant. Deinde ex omni diſputatione arceantur geſticulationes nimiæ, immodeſti clamores, nimia verboſitas, & multo magis odia, fraudes, ſtratagemata, dicteria, ſcuriles invectivæ, verba aculeata, ſales dentati: neque enim innoxios, quibus auditorum attentio excitatur, & acuitur, e diſputationibus elimandos cenſemus, quibusve potius adverſarii animus componitur, & ad hilaritatem, animique moderationem revocatur; tantum abeſt, ut ad iram, mutuaque dicteria concitetur. Quod contingit, ſi verbis contumelioſis laceſſatur, præſertim argumento ab invidia ducto, id quod conſequentiariis familiare, qui ex

Aliæ præceptiones pro diſputantibus.

 alio-

quam de rebus, quæ pietatem lædere, vel minuere poſſe videantur, niſi ipſa fortaſſe aliquando pietas a nobis poſtulet, ut ſe cum aliquo ſuo periculo minore a majore periculo liberemus. Deinde ut de rebus aut inutilibus, aut alienis, aut ridiculis, abſtineatur. *Vid.* LAUN. *de var. Ariſt. fort.* c. 14.

aliorum placitis consequentias vel ridiculas, vel periculosas deducunt, animo contemtum, odium, aut persecutionem concitandi. Atque hæc aliaque consulunt præscribuntque idonei, harumque rerum periti magistri, ad rite formandum disputandi exercitium.

CAPUT IV.

Disputationum utilitates declarantur.

Magnæ utilitates ex rite institutis disputationibus sperandæ.

I. Quin disputationes sic institutæ magnam utilitatem præstent, dubitari nequit. Eæ vero tum ipsos, qui hoc disputandi exercitio occupantur, spectant, cum res disputationi subjectas. Quod primas quidem attinet; *Primum disputativa*, utor verbis *Jo.* GERSON (a), *inter consocios disputatione robur sumit; disputationem intellligo, non protervam, non cervicosam, non amaram, non pertinaci animositate tumultuantem, sed modestam, qualem esse decet veritatis inquisitionem, quæ acuat, & excitet ingenium, quæ studium promoveat, & inflammet, quæ stabiliat quoque veritatis positionem, falsitatis oppositione patefacta. Hinc fit, ut non extimescat studio-*

(a) Epist. ad studentes collegii Navarræ secunda.

ſtudioſus etiam in propatulo defendere, quod ſecretius ſe bene didiciſſe cognoverit. Non ſolum ergo diſputando acquirimus habitum, & facilitatem ſine præparatione verba faciendi, verum etiam mens noſtra aſſueſcit attentioni, adeo ut diſputatio a doctis merito inter eas artes referatur, quibus attentio excitatur, & augetur. *Quod autem ad diſputationes, &, ut vocant, circulos attinet,* inquit POSSEVINUS (a), *ea nobis, non ſophiſtarum congreſſus, ſed exercitatio ſaluberrima eſt ad firmanda ingenia, uti ad corpus roborandum exercitatio valet.* Dum enim ſingulari vivacitate res agitur, profundius mente repoſta hærent, quæ afferuntur in medium, diſcutiunturque, & longe major attentionis conciliatur vis, evagationibus omnis via præcluditur, quas profeſſor in prælectionibus vix cavebit, maxime in teneris adhuc, nec ſatis confirmatis adoleſcentum animis: quorum quo excitatior & vivacior, eo plerumque volubilior eſt indoles. Accidit autem, ut hic fructus ex diſputationibus in reliqua etiam exercitia & privata ſtudia recidat, quæ deinde majore attentione & diligentia tractamus, diſcimusque omnia enucleare, diſquirere, ac indagare.

(a) Bibl. ſelecta. L. III. c. 2.

Maxime ad indagandam, patefaciendamque veritatem.

II. Animus etiam diſputando aptius veritatis luce colluſtratur; primo, quod talia in diſputationibus proferantur, quæ vix in libris reperias (a), ut obſervat non nemo. Si qui libri a viris doctis conſcribuntur, aut lectiones, ſive publice, ſive privatim, habentur, plerumque illi ſupponunt, lectores, auditoresque ſuos multa jam cognoſcere: cum vero in utramque partem diſputatur, omnia enodantur; non tantum difficilia, ſed & minuta ac levia explicantur; nihil occultum manet, diverſæque, quas unaquæque res habet, facies deteguntur. Quid? quod veritas eo apertior prodeat, dum ei adverſantia examinantur: ſicque quam plurima caligo ex diſcipulorum mentibus diſpellitur, qua ſolent involvi, quibus adhuc rerum oppoſitarum ſenſa præjudicant. Sunt hæc veluti cortinarum veſtiumque impedimenta, quibus detractis ipſa per ſeſe veritas clariſſime conſpicienda pateſcit. Id in cauſa eſt, ut veritatis adumbraturi ſimulacrum veſtibus ſpoliatam exhibeamus, quia, quo eſt apertior, tanto magis conſpicua, ac propius ad prototypon accedit. Veſtibus itaque fucis, & quidquid claram veritatis contemplationem moratur, & impe-

(a) Mercure Suiſſe de l'an 1736. du Mois de Mars.

impedit, ſublatis (quæ ab iis, quos ejus decor & lux offendit, injecta ſunt, queisque infuſcata eſt) ad pulcherrimam, integerrimamque veritatis ſpeciem pertingimus, quod quemadmodum in theologia nullo non tempore uſuvenerit, paulo poſt manifeſtum evadet.

Diſputandi conſuetudo habiles reddit ad defendendam veritatem.

III. Nec veritatis ſolummodo patefactio iſtis exercitiis fit, ſed facilis & expedita itidem redditur ejus defenſio. Hac enim veluti palæſtra ad aſſerendam propugnandamque veritatem exercemur, uſum porro conſequimur, ut ad rectam normam rerum momenta expendamus, rationesque ſic nectamus, quarum certa & evidens ſit conſecutio, inconcuſſum robur, inexpugnabilis firmitas. Hinc etiam veritatis umbras haud difficulter propulſamus, & quæ veri ſpeciem ſolam habent, a veritate ipſa acri judicio diſcernimus. Hæreticis ſane antiquis, & recentibus modus iſte exoſus fuit, quoniam cominus iſto genere pugnæ robuſto, & acuto, confodiuntur. Omnia aguntur iſtis in gymnaſmatis ſumma contentione, diſcutiunturque maxima acribia. Etiam judicandi facultas illis perficitur, fitque, ut in noſtris judiciis & ratiociniis rectam & rationi convenientem methodum obſervemus.

IV. Hæc

Atque religioni plurimum opitulatur.

IV. Hæc & complura alia ita commendant eristicen illam, qua dejectis illis, quæ ad labefactandam veritatem objiciuntur, novis ea stabiliminibus fulcitur, & confirmatur: quæ nihil necesse est singillatim referre, cum ea magister usus sit docturus; a nobis vero ad ea, quæ singularia sunt instituti nostri, properantibus hæc abundius etiam dicta videri possint. Dicendum enim potius est, quid eristice ista theologiæ profuerit difficillimis temporibus, & acerbissimis adversariis contendentibus, quos non veritatis studium, sed voluntatis obstinatio ad obnitendum, contraeundumque induxit, ut hinc conjectura fieri possit, quid ad veri investigationem valitura sit apud eos, qui amice inter se de firmitate veritatis disceptant, & congrediuntur. Quamobrem cum veritas magnis in volucris occultetur, ac quasi corticibus tegatur disputationem ita dictam putat *Ludov.* Vives, ut quemadmodum vites, nuces, ferrum, aurum putantur, ita in examine veritatis remotis vel falsis, vel ambiguis vel incertis, ad ea veniatur, quæ procul dubio sunt vera.

Depravationes tamen disputato-

V. Sed enim, quod in humanis fieri consuevit studiis, ut res optimæ perverso usu depraventur, id omnino theologiæ

logiæ diſceptatrici accidiſſe, deplorandum eſt: eo mali prolapſa eſt, ut divinam hanc diſciplinam in invidiam adduxerit. Dum in vanas & aculeatas captiones ſermo de divinis rebus degeneraſſe viſus eſt, tum dicendi etiam genere barbaro, intempeſtivis clamoribus, inconditis vociferationibus, ſtrepitu ac tumultu concertationum, decor & majeſtas divinorum oraculorum, non minus in ſermonibus & diſceptationibus, quam ſcriptis theologorum periiſſe videri queat. Quorum prius illud ſanctiſſimos juxta & ſapientiſſimos quosque contra eriſticen concitavit, ut expellendam prorſus extrudendamque exiſtimaverint: alterum ſedatiores quosque ac otii eruditi amantes ita offendit, ut faſtidium, ſtomachumque non ſuſtinuerint. Hujus rei momenta quædam, dum ita vacat, & tempus fert, enodare propoſitum mihi eſt, & ſi quod remedium morbo jam pœne deſperato, reliquum eſt, conferre. riam artem invaſeruht.

CAP. V.

CAPUT V.

De vitiis exercitiorum seu disputationum scholasticarum.

Vitia disputatoriæ artis.

I. Tam insanabilis contagio nonnullis est visa, contortum illud, & illigatum disceptationum scholasticorum dicendi genus consecuta, ut sicuti vetat HIPPOCRATES, morbis desperatis adhibere medicinam, sic illi ulcus istud tangendum sibi minime sint rati, relinqui satius existimantes, quam pœnitendam operam in eo consumere. Potissima reprehensionum capita constant fere ipsius dialecticæ, & philosophiæ perverso usu, aut rerum etiam non satis dignarum lectione. De quibus quatenus theologiam ipsam afficiunt, *de recto & perverso usu theologiæ scholasticæ* egimus. Peccata in dialectices sanas leges commissa habent equidem antiquissimam querimoniam, ut hinc elucescat, ea in rerum sacrarum disceptatione frequentia jam inde a christiani nominis incunabulis fuisse. Atque hinc tot Patrum sunt notatæ sententiæ, quibus in omnem dialecticen aut acrius inveherentur, aut eam penitus tollendam e scholis christianis putarent,

rent, quod alibi jam monui. Posterioribus temporibus ad nostra propius accedentibus, multo altiores radices agente hoc malo, querendi rationes multum sunt auctæ; ut jam quam maxime onerata sit omnis legibus adstrictæ disceptationis causa, dum suos prætergressa fines, altius pro conditione pervolans, divinis sese rebus totam immiscuit. Dum philosophia omnia jam axiomata theologica defendenda in se recipit, materiamque theologicam suis terminis involutam, sua etiam arte explicare gestit; logica vero omnia suis principiis, suisque artificiis transigenda in theologia suscipit. *Atque hæc pervagata est*, verba sunt eruditissimi PETAVII (a), *postremis hisce sæculis bene multorum querimonia, qui metaphysicis istis, ac dialecticis contentionibus, & subtilium quæstionum disputationumque laqueis, & ambagibus totam asserunt fædatam, & adulteratam esse theologiam, atque in sophisticam transiisse versutiam, pristina gravitate ac majestate funditus amissa.* Non tamen damnat prorsus eristicen, ut eam exulare e scholis velit. Quamvis enim causæ aliquid subesse putet, quod politos & litteratos interdum moveat, ut argutis, & enucleatis divinarum rerum dispu-

(a) Proleg. theol. dogmat. c. 5.

disputatoribus succenseant, illisque vehementer assentiatur, qui intra modum rationemque contineri acutorum, & curiosorum hominum industriam oportere statuunt, utilissimam tamen disputandi disciplinam ob id neutiquam condemnat, ac respuit.

Quæ corrigenda, non ars disputandi abjicienda est.

II. Et sane, si in humanis, divinisque rebus, quæ ad hominum manus & industriam semel pertigerunt, omnia ea antiquanda forent, quæ perverso studio depravantur, quid jam reliquum esset in rerum natura, aut sacris etiam, & religiosis mysteriis? Careremus saluberrimis, sacerrimisque rebus, omnique cœlestium rerum cognitione, quarum nullum existit genus, quod non perversorum hominum impietas lacessere conata sit, & evertere. Quare, quod in istis rebus faciendum putamus, ut eas a pravitatibus vindicemus, & eripiamus, ne sanctissimis sacramentis ingenti nostro detrimento ultro nos privemus; idem, si æquitas cordi est, hic præstandum. Ea, quæ minus sunt recta, corrigere, quæ depravata restaurare, redintegrareque debemus. Horum quædam solummodo capita, a viris peritis animadversa, hic recensere animus est, quæ videntur apertius, ob-

stina-

ſtinatiusque negligi, minusque adverti, quorumque haud deſperandum videatur remedium.

III. In primis ergo, cum finis & ſcopus principalis omnis legitimæ diſputationis ſit, veritatem indagare, eandemque veluti ex tenebricoſo ſpecu in lucem educere; quis perſuadere ſibi poſſit, aliquam hujus optimi finis, ac ſcopi haberi rationem, cum nihil unquam rati confici & ſtabiliri contueamur? Utraque adverſans inter ſe pars in eadem ſemper perſtat opinione, & quidvis potius moliri eligit, quam pati velle, ut a ſua dejiciatur ſententia. Huic rei cauſam præbet præpoſtera quædam menti inſidens perſuaſio, convinci rationibus alterius turpe eſſe. Cui tamen malo facillime obſiſtitur, modo in animum ſibi quisque inducat, hominem ſe eſſe errori obnoxium, quem cum quis agnoverit, & faſſus fuerit, multo eſſe laudabilius, ſe eo liberatum profiteri, quam eidem pertinaciter inhærere, eundemque procaciter defendere. Veritati igitur ab adverſario clare & ſolide demonſtratæ cedendum, nec exiſtimandum, partes noſtras eſſe, ut ſententiam mordicus defendamus, & gloriam in contradictionis quæramus diuturnitate.

Diſputatores hodie veritatis adeptioni non ſtudent.

Pertinaciter inhærere opinionibus susceptis eruditi non est.

IV. Sic certe sentiunt, quibus est sanum, & integrum recti judicium; cum contra ii plerumque sint obstinatiores, quibus parum prudentiæ, aut etiam scientiæ inest: qui necdum suo experimento didicerunt, quam falli sit pronum, & decipi. Iis vero, quibus multarum rerum est peritia, eorum etiam erratorum præsens est conscientia, quibus sese suo studio liberarunt: hinc rationum, auctoritatisque pondere ducuntur, quibus deferendum esse justa suadet causa. (a) Istud de se confitentem virum inducam summum, *Melch.* CANUM (b), cujus exemplo utinam omnes saperent, discerentque & rationibus vinci, & auctoritatibus

(a) Petrus POIRETUS, *si hac uti liceat auctoritate, ita affectos esse sentit homines vere eruditos:* Ingenue, *inquit*, profitentur de rebus ipsis plurima se nescire, quæ vel ab infantulo, aut a muliercula, ubi res id feret, discere parati sint: imo quod plus est, cum solus DEUS sit falli nescius, non modo ipsi se falli posse agnoscunt; sed & quando DEUS ad humilitatem conservandam permisit eos falli, aut quando ex naturæ nostræ imbecillis conditione contigit errasse; illico seipsi lapsos esse, candide & aperte (ubi id vident) profitentur, atque declarant; idque quod humillimus AUGUSTINUS libro retractationum integro exsecutus est, ex animo coram retractare nequicquam verentur. *De triplici erudit. L. I. P. III. n.* 41.

(b) De locis theol.

bus cedere, qui in ſcientiarum maxime theologiæ ſtadio decurrunt, quibus vir ille ſcriptis ſuis optime conſultum voluit. Quæ ad rem præſentem ſunt ejus dicta, ſic habent: *Ego*, inquit, *etſi non ſum is, qui nihil unquam falſi approbem, ſed ea, quæ diſſero, tamen non arroganter præjudico, nec revoco ad arbitrium meum, ſed vel ſanctorum teſtimoniis, vel ratione probabili conſentaneaque confirmo. Sic jure ac merito poſſum a viris doctis poſtulare, ut de me nonniſi cauſa cognita judicent. Quodſi rationibus, quibus ego ducor, falſam me habere ſententiam doceant, gratiſſime accepturus ſum; ut vero ſine argumento quisquam ſola me aſſeveratione vincat, fieri certe non poteſt.* Ita vir ille, ſi ab aliis certius aliquid perciperet, ſuisque rationibus ſe falſam ſententiam tueri doceretur, gratiſſime accepturus fuerat; cum multi ſint, quibus nulla ſuppetit conſtans, & firma ratio, flecti tamen ſe non ſinant; quin & adverſos animos in eos capiunt, qui ſuis erroribus patrocinari detrectant, veritatisque in ſe ſuſcipiunt tutelam. Quod ut nunquam non turpe, tum in illis certaminibus, quæ ad eruendam veritatem ſunt inſtituta, turpiſſime fit, ubi ad hoc convenitur, ut decertetur contrariis rationibus, ac veritas, dilutis, quæ ſunt adverſa, aſſeratur.

Si difficultas soluta desistitur absque nota ignominiæ.

V. Neque aliquid dedecoris habere potest, si rem veris momentis, non vero præjudicata libidine perpendamus, ut opponens, quam primum sentit nihil solidæ relinqui difficultatis ad veritatis stabilem, & inconcussam rationem nodum solutum profiteretur acquiesceretque: maxime cum ob id, quod quisquam in contrarium aliquid proferat, non ideo in tali sententia esse credatur, sed velle experiri, num qui adversam tuetur partem, satis firmus stet, nec lacerti adeo sint debiles, ut ad quemvis cedant impetum. Sic ego multis incommodis obviam iri posse autumo: si quivis sibi persuadeat, hoc solum suum esse munus, dum disputat, ut quod assertæ opinioni adversari existimet, in medium afferat discutiendum; quod dum fuerit præstitum, & soluta dubii perplexitas, jam tuto se posse obmutescere, nec honoris sui flagitare rationem, ut ulterius obnitatur: itaque si unico argumento, aut syllogismo res confecta sit, eidem stetur. Hoc qui spectat, nunquam sollicitus fuerit, ut per ambages ad rem descendat, quo possit quam diutissime in acie consistere; sed quod est rei caput, aggredietur, idque quam arctissimis phalangibus: cumque ratio semel defecerit, contraeundi conatus jam cessabit; quem

in infinitum produci necessum est, si ita sit obfirmatus animus, ut quidquam remittere nolit. Hinc captiosis cavillationibus aditus omnis foret præclusus, lites innumeræ amputarentur, arrogantia illa, & pertinax studium defendendi propriam opinionem, quod latissime regnat, quam longissime propulsaretur: istarum enim omnium rerum veluti radice sublata, ipsæ per sese conciderent. Insignia commoda hæc facienti cum POSSEVINO (a) promittere licet.

Quod minime observatur plerumque in scholasticis velitationibus.

VI. Sed nostris moribus illud fateri cogimur, quod a CICERONE agnitum olim est, ut plerique errare malint, eamque sententiam, quam adamarunt, pugnacissime defendere, quam sine pertinacia, quid constantissime dicatur, exquirere. Quin & illud a CANO (b) observatum, deploratumque in studio theologico est, quod in gymnasmatis plerum-

(a) Ad eam igitur, *inquit ille*, qui se ita in disputationibus composuerit, ut veritatis inquisitione plusquam nominis celebritate gaudeat, majorem plerumque aliis pertinacioribus coronam reportabit, quod virtuti cedere, faterique se nescire, ut discat, laudabilius sit, quam litigare, ac duplici interim damno affici, affectatæ ignorantiæ & pertinaciæ. *Bibl. sel. L. I. c.* 34.

(b) De locis theol. L. VII.

rumque usuvenit, ut *complures ad discordiam nati esse videantur, qui tunc optime se disseruisse putent, cum contra doctores dixerint, ut non tam verum invenisse velle videantur, quam adversarios convincere, concertationibusque & rixis totas chartas implere.* Sed hæ communes sunt querimoniæ, quas meas hic loci facere nolim, sentinam malorum, primamque scaturiginem, ac fontem demonstrasse contentus, veritatis nimirum unice consectandæ neglectum, qui est ceu fomes multicipitis canis illius, in scholasticis cencertationibus omnia latratu suo obtundentis, implentisque: quem Cerberum dicerem, si ad solas inferas hæreticorum portas, nec etiam catholicarum scholarum fores & conventus illapsus omnia susque deque verteret, & confunderet.

De involucris & lubricitate terminorum scholasticorum.

VII. Primum hoc est funestum caput in scholasticis congressibus, si veritatis consectandæ neglecto studio, obfirmatus est animus in obnitendo. Sequitur alterum non minus detestandum, cum veritas involucris implicata, ceu Medusæ caput anguibus implexis, speciem & formam amittit, neque conspectum sui, aut interiorem contemplationem permittit. Sibilis omnino, tor-

tuo-

tuoſisque flexibus omnem congredientis attentionem conatumque ſic eludit innexorum ſerpentum lubricitas, quos ſi comprehendiſſe etiam, & fortiter manu jam premere, ac tenere reatur aliquis, elabi contingat. Videtur inſuper ſtudioſe factum, ut inſigne diſputandi inſtrumentum intricatiſſimum redderetur, quo majori eſſet admirationi, & veritas potius abſconderetur, quam explicaretur. Miretur quis forte, quei accidat, ut poſt tot acerrimas concertationes nihil unquam certi conficiatur, & poſſint viri non imparis ingenii, dexteritatis, & perſpicaciæ, ſententiis perpetuo inter ſe diſſidere, & contrariis rationum ponderibus in diverſa abripi; cum tamen ut vere eſt ab ARISTOTELE animadverſum, verum vero contrarium non ſit?

VIII. Cujus rei quidem cauſa hæc redditur, poſſe cuiquam veritatis lucem claram affulgere, alteri non item: poſſe item in rebus veriſimilibus & probabilibus ex utraque parte rationes exiſtere, quæ hunc in iſtam, alterum in illam flectant. Sed videtur etiam frequenter contingere, apud illos maxime, qui publice diſceptant, ut potius ſit verborum diſſenſio, quam mentis.

Unde neceſſe eſt frequentiſſimas in diſputationibus oriri logomachias.

Namque, etsi alibi hoc usuvenire viris perspicacibus & acutis non satis dignum putamus, tamen in disputationum æstu facillime evenire posse concedi debet. Tum vero in illis, quas scholasticas dicimus, disquisitionibus hoc fieri pronum quam maxime est, in quibus artificiosis terminorum nexibus omnia transfiguntur; ubi notiones obscuræ, versatiles, ambiguæque sunt. Quare quidem videmus, tam gnaviter & inconcusse in arena scholastica consistere solere eos etiam, quibus mediocris saltem adest naturæ, & scientiæ suppellex, bonitasque. Habent enim latebras suas; habent munimenta vocum, & terminorum, quibus tuto se condant, atque adversus machinationes omnes, & quævis arma sese tueantur: &, quod mirum sit, pugnantes etiam inter se opiniones nonnunquam iisdem terminorum formulis causam suam agunt.

Ad quas fundendas suapte natura sumus proclives.

IX. Subesse quidquam causæ, ut theologis etiam hac in parte succenseamus, quis neget? Est enimvero communis hæc humani torporis, & cæcutientiæ labes, qua ab ipsis incunabulis inficimur, ut voces sensu intellectuque cassas fundamus, cui multum fomitis præ-

præbet ipſa etiam ſcholaſtices cumprimis indoles. Hinc tanto pertinacius hærere, & latentius ſerpere neceſſum eſt hoc malum, quoniam poſtquam crevit nobiſcum, temporisque diuturnitate veluti in naturam abiit, diſciplina etiam confirmatur. *Homines* (in hanc rem proloquitur ſtudioſiſſimus genuinæ veritatis ſpeculator MALEBRANCHIUS (a) *& ſibi & aliis ſatisfacere conſueverunt, dummodo verba aures non offendant, tametſi ſenſum non habeant; ſatis eſt, ut ab hominibus recipiantur: hæc eſt, quæ in orbe valet, moneta. Excluſa eſt ex commercio hominum veritas, uſque eo, ut neque loquentes, neque audientes ullam ejus rationem habeant. Scire loqui, ſummum naturæ donum videtur, quam imaginatio parit loquendi facultatem, certiſſima plurimis placendi ars eſt.* Hæc ille.

X. Neque vero eſt diffitendum, ſcholaſticam cumprimis diſciplinam hac in parte quam maxime peccare: ut quod CICERO ſuis temporibus de academia aſſeruit, de ſcholaſtice hodie valeat, ut ſit *loquax*. Eam vero loquacitatem nullibi amplius, quam ſuis in quotidianis circulis, & diſputationibus oſtendit. Quid igitur mirum, ſi inter tot verba cur-

Nimia loquacitas in diſputationibus auget malum.

(a) Rechérch. de la verité. T. III.

curſim, citiſſimoque hiatu profuſa, ubi vix attentioni locus eſſe poteſt, quam plurima ſint, quæ nihil in ſe niſi litterarum complectantur elementa? Et quoniam quotidie experimur, ut quisque ad loquendum eſt procaciſſimus, ita fere rationis egentiſſimus, fieri nequit, ut ſcholaſticos ſæpe ratio non deficiat, ad ineptas ac minutas concluſiones abducantur, atque in conſequentiis nimium abſcedant a conſtitutis finibus: qui integros dies de rebus obviis quibusvis ſic inter ſe diſceptant, ut nunquam verborum ſatis reperiant, & ſpiritus illis potius, quam ſermo ſit exhauriendus.

Item terminorum obſcuritas, & diſtinctionum ambiguitas.

XI. Maxime hoc evenire proclive eſt in illa terminorum, abſtractionum, præciſionum, diſtinctionum, ut dixi, volubilitate, quæ vel PROTHEO ſunt mutabiliores, & obſcuritate, multiplicitateque ſua quoquoverſum inclinari valent, & inflecti. Liceat hujus rei exemplum ex ipſo veſtibulo, primoque theologiæ aditu afferre. Quis ſanæ mentis de objecto theologiæ litem movere poſſet, atque in quæſtionem vocare auderet, theologiam de DEO, rebusque divinis tractare, ſeu, quod idem eſt, DEUM & res ad eum pertinentes objectum theologiæ conſtituere, niſi terminorum ſcholaſticorum

invo-

involutio perplexitatis aliquid pareret, abſtractiones formalitatum, intentionumque, & ſimilium monſtrorum, materiam diſceptandi inexhauſtam miniſtrarent. Quis mutire contra auſit, eſſe theologiam certiorem cæteris ſcientiis, utpote veritati fideique divinæ ſubnixam? Sed cum res ambagibus, diverticulis ſcholaſticorum terminorum committitur, fit, ut dici, diſputarique nunquam ſatis poſſit.

XII. Accidit porro nonnunquam, ut perverſum etiam ſtudium iſti vitio accedat, atque in diſputationibus, cum vinci ſit dedecus, & obloquendum ſemper ſit, nec tamen occurrant, quæ cum ratione dicantur, ſoni ſolum fundantur. Quam ego rem propudioſam ſane cum graphice a clariſſimo WERENFELSIO (a) deſcriptam videam, illius verbis adumbrabo: *Sæpe*, inquit, *indicium eſt, reſpondentem nihil obſervare in opponentis argumento, quod tuto negari poſſit. Taceret, ſi tacere liceret: fateretur aſſenſum, niſi hoc turpe videretur. Vult aliquid reponere, etſi quod reponat, non reperiat. Hic inter arcana reipublicæ diſputatoriæ, in qua ſalus reſpondentis ſuprema lex eſt, hoc eſt præcipuum: ſimul ac*

Affectatio maligna fundendi voces notione vacuas, aut dubias.

(a) De logomachiis erudit.

ac nihil eſt, quod reſpondeas, viciſti, ſi quid dicis, quod non intelligat adverſarius, quod nunquam certius aſſequeris, quam ſi ipſe dicta tua non intelligis. Inter ſtratagemata hujus militiæ non poſtremum eſt cenſendum, ſi hoſtem nulla ratione repellere potes, oculos ejus conſpergere pulvere obſcuræ cujusdam diſtinctionis (optimæ illæ ſunt, quæ ne quidem a proferentibus intelliguntur) ut illo excæcato poſt varios ictus, qui adverſarium fatigant, te non lædunt, honeſte retrocedere poſſis. Hic ſi opponens inſurgere vult contra reſpondentem, quid aliud impetit, quam verba inania omni ſenſu deſtituta. Suppetit feſtivum ejusmodi exemplum ex *Michaele* MONTANO (a) qui vidiſſe ſe ait quemdam amicorum animi cauſa diſputantem cum quodam, qui eruditus ſuo tempore habebatur. Compoſuiſſe illum, neſcio quem, ſine ſenſu, & ordine centonem ex variis locutionibus conſutum, plenum vocabulis, quos terminos artium vocant, eosque quaſi objectiones alteri propoſuiſſe, atque ita integrum diem hominem hunc ita detinuiſſe, qui durante ludo illo ſerio objectiones propoſitas diluere, apteque ad omnia reſpondere ſibi videbatur. Quod iſte

(a) Eſſais de' Montaine L. I. c. 24. du Pedantiſme.

iste lusus gratia fecit, necessitate constricti nonnunquam aut perturbatione sensuum faciunt disputatores. Quodsi verum fateri velint, qui sunt aliquando ad angustias in disputando redacti, ut eos ratio deficeret, his artibus usos se non diffitebuntur, nisi eadem religione prohibeantur, hic suam astutiam, quam illic inscitiam, profiteri. Nec hic semper res sistit, etiam ad iras, convitia, cavillationes, imo calumnias itur.

XIII. Sed quo delabor? Non hæc rerum sunt perversitates; hominum minime ingenuorum offuciæ, apud quos disputandi exercitium animum & mores corrupit. Fuit hæc digressio facienda, ut inter eas vitilitigationes discrimen constaret, quæ voluntate non accidunt, easque, quæ sunt affectatæ. Harum pars posterior, optandum est, ut prorsus exulet: priores, quod in omnes scientias, ipsa etiam theologiæ sacra irrepant, nec ulla solertia & vigilantia satis possint caveri, semper lugent quidem, ac deplorant ii, quibus studium est, & sollicitudo scientiarum; qui summopere enituntur etiam, ut pro viribus quisque eas propulsare satagat, maximamque attentionem isti rei

Aliæ corruptiones a perversitate animi, aliæ a depravatione studiorum.

tri-

tribuere neminem pigeat. Hoc in ſtudio majores noſtri ſanctiſſimi viri documento nobis ſunt, qui ipſi nonnunquam inter ſe, dum rebus conſentirent, de verbis certarunt: nec pauci illi quidem ſæpe fuerunt, inter quos tales ferverent lites, ſed in id totis ingenii viribus incubuerunt, ut ſeſe extricarent. Quorum exemplis edocti formidare diſcamus, ne dum de maximis rerum momentis putamus inter nos controverſiam eſſe, ſolarum vocum ſit diſcrepantia.

Qua ratione obviandum malo iſti.

XIV. Cui malo obviam ibimus, ſi mathematicorum imitemur morem, atque eorum philoſophorum, qui hodie maxime ad mathematicam accurationem nonniſi in definitis vocabulorum notionibus acquieſcunt, in quibus nihil vagum, ſed conſtans inſidet ſignificatus. Et quando dogmata obſcuris ſunt implexa terminis, illis involucris expedire juvat ac expedit, atque ſimplicem, apertamque ejus ſpeciem inſpicere. Hac arte dici non poteſt, quantæ lites ſint abrumpendæ, quanta veritati lux, & ſplendor acceſſurus. Veteres luctatores in luctis noſtris ſcholaſticis ſectari haud abs re fuerit, ut nuda ſint verba, ſicut illorum nuda corpora, ceu oleo tamen delinita & delibuta, hoc eſt, liquida.

Quod

Quodsi omnia sint impedita & involuta, accidere potest, ut sola nobis frivola, larvæ aut puppæ objiciantur, contra quas inglorie confli&temur.

XV. Est hoc palmare, quod diximus, si voces nostras in disceptationibus scholasticis hominis cum ratione disputantis esse velimus; secus ad veritatis indagationem inepti prorsus reddimur, quæ ratione fit & intelligentia, verbis impeditur. Præstaret multum, & erroris deceptionisque omnem auferret fucum, si cum spiritibus illis angelicis, quæ mente concepimus, alio quovis intelligibili modo invicem panderemus. Sed quoniam corporis moles, & massa, cui immersa est mens nostra, facit, ut & sensuum adminiculo intelligendum nobis sit, & quæ intellectu, rationeque concepimus, sensibili vocum ministerio declarare debeamus, & invicem communicare; maxima nobis est adhibenda cura & attentio, ut, ad quem scopum sunt inventa verba, ad patefaciendum latentem animi sensum, eum obtineamus: obtinebimus autem, si sine fuco & ambagibus simplici ac nativæ veritatis imagini verba coaptabimus: id quod fieri cumprimis condecet in summe ardua de fide tractatione.

Studendum maxime perspicuitati in disputationibus.

XVI.

De ambagibus nimiis scholasticarum præsertim disputationum.

XVI. Usuvenit multis disputatoribus, quo diutius, uno veluti spiritu, premere adversarium, insectarique possint, *medium*, ut vocant, eligunt, quam longissime accitum, nihil plerumque minus, quam theologicum quid spirans: cui subtilitatis multum, soliditatis parum adhæreat; possit tamen protrahi ad libitum, & in omnes partes trahi, quod ei, cui opponitur, ceu TANTALI pomum sit, perpetuo ad os vergens. Habet hoc malum præter temporis jacturam, quod hisce talibus sine ullo unquam fructu consumitur, illud maximum & perniciosissimum damnum, jam olim a GREGORIO *Nazianz.* (a) agnitum, *ut propemodum exigua quædam particula videatur esse magnum fidei nostræ mysterium.* Quodsi ille de aureo suo tempore hæc arguenda existimavit, quo limpidissimi fluxere theologici fontis rivi, quid si sequiorem a non paucis sæculis attigisset ætatem? Si aliquando concertationibus scholasticis, quæ nunc vigent, adfuisset? Multæ solo nomine theologicæ sunt: ubi præter acuta aliqua, tortuosa, & involuta, aliunde magis, quam ex fontibus sacris theologiæ hausta, ac repetita in medium afferuntur argumenta. S. GREGORIUS *Nazianzenus* in

(a) Orat. 33.

in carmine de vita sua invehitur graviſſime in tales *audaces linguas*, & *multiplices textus*, ut vocat, *per quos ſimplicitas fidei pereat.* Sunt autem, ni fallor, nil aliud quam intruſæ illæ, & quam longiſſime accerſitæ argumentorum ſedes, & *media*, in tenuiſſima fila ad inſtar telarum araneæ protenſa, quibus nihil eſt imbecillius ad ſuſtinendum *carcerem* illum & ſepimentum artium, atque adeo theologiæ, nempe dialecticam (ſic enim & a Patribus, ut philoſophos taceam, vocari ſolet) quæ ad coercendam humani ingenii petulantiam, ad munimentum adverſus quosvis adverſantium inſultus, ad firmum in pugna conſtitutorum præſidium, facere deberet: Hic *carcer* ille *imbecillus*, ut porro ibidem canit, *araneæ telæ; quæ levia illigare ſolent, ſuntque robuſtis riſus magisque contemnuntur a cordatis, quam ut jurgiis talibus ſeſe immiſcere velint.* Quapropter *rumpantur*, ſuadet idem, *aut ſolvantur validis ſermonibus, & qui inciderunt, effugiant laqueos.* PRUDENTIUS præfatione ad apotheoſin, hæc vivis coloribus expreſſit:

Fidem minutis diſſecant ambagibus,
Ut quisque lingua eſt nequior.
Solvunt, ligantque quæſtionum vincula
Per ſyllogiſmos plectiles.

E Va.

Væ captiosis sycophantarum strophis
Væ versipelli astutiæ.
Nodos tenaces recta rumpit regula
Infesta dissertantibus.
Idcirco stulta delegit DEUS
Ut concidant sophistica.

CAPUT VI.

De ratione dogmaticarum disputationum, ac imprimis de sedibus argumentorum ex Verbo DEI.

Exemplo ex HOMERO illustratur defectus scholasticarum disputationum.

I. Quodsi mihi liceat in hac sacra theologiæ causa profano aliquo, atque etiam poeticis figmentis implicato, exemplo uti, in promtu est, quo nihil congruentius, aptiusque possit effingi, illud poetarum *Coriphæi* HOMERI, dum Μῆνιν seu *iram* illam cecinit fortissimi ACHILLIS, quæ in causa fuit, quare Græci tamdiu Troja, atque adeo HELENA sua potiti non sint, namque ut HOMERI verbis utar (a)

Ἐξ οὗ δὴ τὰ πρῶτα διαστήτην ἐρίσαντε
Ἀτρείδης ἄναξ ἀνδρῶν, καὶ δῖος Ἀχιλλεύς.
Ex quo sane primum dissenserunt litigantes
Atridesque rex virorum, & divus Achilles,

(a) Il. a.

ob

ob ablatam ACHILLI ab AGAMEMNONE BRISEIDAM, quam is jacturam ægre ferens

Δακρύσας, ἑταίρων ἄφαρ ἕζετο νόσφι λιασθείς.

Lacrimans a sociis sedit seorsim separatus.

Quamobrem Græci in oppugnatione Trojæ hujus ope diu destituti multis stragibus affecti sunt, nec antea aliquid sua in obsidione profecerunt, quam ACHILLEM sibi reconciliassent, qui solus HECTORI par esse posset. Quodsi fas esset HELENAM theologiam nominare, dicerem ejus adipiscendæ gratia gymnasmata nostra ceu ad Trojam institui: sed dum strenui in hac pugna belliduces de BRISEIDA, CHRISEIDAque inter se disceptant, ipsa relinquitur HELENA. Hoc est, dum scholastici athletæ domesticis tricis indulgent, ipsam arcem, qua theologia retinetur, negligunt: dum ACHILLES, cum armis illis suis e cœlo acceptis, (quod illi fingebant) abest, frustra pro theologia decertatur.

Arma cœlestia verbi DEI in theologica palæstra.

II. Quis sit ille, qui in pugnis pro theologia plurimum valeat; quæ sint cœlitus demissa arma, quam plurimi diu non perpenderunt; donec susceptæ plagæ, & parum proficientia certamina ejus revocandi studium, & solicitudinem in-

 jece-

jecerunt. Qua in re non possumus non deprædicare nostrorum temporum felicitatem, quibus passim restitui, genuina ad pugnam theologicam arma videntur; tum etiam vis omnis, & conatus pro vindicanda arce theologica, atque ex hostium manibus liberanda conservandoque PALLADIO instrui, dum, elapsis sæculis, lites strenuos in hac pugna viros inter seipsos commiserunt, pro metaphysicis quibusdam atque logicis subtilitatibus, pro quibus tamquam aris & focis decertatum est: neglectis a DEO concessis armis, id est, sermone divinitus ad nos delapso, cujus virtute solummodo, si quid in pugnis theologicis præstandum, efficitur.

Arma hæc quomodo tractanda.

III. Ne vero id nobis eveniat, si temere hæc arma usurpemus, quod PATROCLO accidit, dum ACHILLIS armis instructus incautus in aciem descendit; eo dirigente sunt adhibenda cœlestia arma, qui agmen ducit ecclesiasticum (a): *Qui potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere.* Hoc ducis christiani munus & officium statuit PAULUS. Qui ipsi arma illa, gladium verbi DEI, arroganter sibi quisque tractandum sumunt, suis mani-

(a) Tit, I. 9.

manibus pereunt. Secus faciunt, qui in ecclesia vera stipendia merent, & pro ea ac sub ea decertant prælioque se committunt, ut ecclesiæ sub duce suo militantis ordo flagitat. Scripturarum sensum illum tenent, quem ecclesia constituit; traditionum autem divinum depositum ab eadem ipsa suscipiunt. Quare quidem, quod perpetuo usu inde a fundata supra petram ecclesia obtinuit, quæ communis omnium temporum fuit doctrina in ecclesia, tanquam divino ore traditam custodiunt. Unanimi etiam Patrum in conciliis consessu definitum, quod est conspirante doctorum sententia stabilitum, id inconcussum tenent & venerantur. Hinc genuinæ sedes agnoscuntur theologicarum argumentationum, verbum divinum scriptum & traditum ab ecclesiæ pastoribus agnitum, exploratum, explicatumque, ac fidelibus subministratum, vel consentiente doctrina, communique observatione, vel singularibus decretis & statutis. Quoniam vero longus temporis tractus inde ab incunabulis ecclesiæ exactus est, doctrinaque ecclesiæ infinitis pœne monumentis sparsim est consignata, quam diutino usu exercitatus, ac indefesso labore perfunctus sit oportet, qui stre-

nue versare in ista palæstra petit, istæc sibi in animum inducenti patebit.

Cardinalis PERRONII modus, utendi his armis contra Protestantes.

IV. Singularem artem, armis his contra inimicos fidei utendi, nuper docuit Cardinalis PERRONIUS in opere illo magnæ industriæ, judicii, & eruditionis, *Replica*, adversus responsum regis Angliæ, ipso statim in limine. Ubi omnino ad ecclesiam seu Patres, tanquam ad judicem fidei & controversiarum, hac ratione recurrendum esse voluit, ut unice auctoritate ista disputaretur, probareturque catholica doctrina absque consequentiis, deferendo judiciariæ potestati de controversiis. Enata est Cardinali hujus rei occasio & consilium, ansam præbentibus ipsis adversariis Lutheranis & Calvinistis, dum de usu principiorum rationis, & consequentiarum robore tantopere inter se digladiati sunt, illis ea penitus a fidei controversiis excludentibus, his eorum patrocinium assumentibus; PERRONIO vero hinc provocante ad agnoscendam auctoritatem externam, & ministerialem, interpositam inter verbum DEI & nos, tanquam senatum seu curiam inter legem principis & subditos; unde certo habere possimus sensum scripturæ jam ante determinatum, & conclusiones fidei plane decisas,

ac

ac dijudicatas, ut habet præfatione *Replicæ* suæ, in qua fundamentum totius operis jacit.

V. Non eſt mei conſilii nec inſtituti, hoc loco meam de hac re mentem exponere, & erit paulo poſt occaſio pluribus iſta diſpiciendi. Nunc ad propoſitum hoc notamus, & theologum monemus, ac veluti manuducimus ad armarium illud ſibi proprium fontium theologicorum, in quibus ſi bene fuerit verſatus, non deerunt opportuna arma, quibus in conflictu cum adverſariis quibusvis ſtrenue depugnet: ſine his vero noverit ſe theologum minime habendum. Non hic prohibetur humana induſtria, & ſagacitas, quæ ceu manus eſſe debet, quibus arma tenemus, ſed ſolum caveatur, ne alienis utamur armis. Quam in rem egregie diſſerit CALECAS Græcus (a) contra NICEPHORAM: *Non univerſe argumentari eſt malum, ſed tantummodo ad id, quod propoſitum eſt, non congruis uti principiis, ac putare fidem naturalibus demonſtrari principiis. Quod ſi quis ad id, quod in quæſtione eſt, eorum aliqua, quæ de DEO identidem exiſtunt, communia principia fidei, & ratas, ac definitas Patrum ſententias, accommodet, quibus inſti-*

Communis modus ac ratio, his armis utendi in theologia.

a

(a) Apud PETAV. Theol. dogm. T. I. c. 13.

institutis, *ac nullo eorum*, *quæ posita sunt*, *everso*, *consentanea istis aliqua concludit*: *quemadmodum antiquis Patribus de consubstantiali*, *deque aliis multis fidei quæstionibus disputantibus usuvenit*, *nihilo secius fatendum erit*, *conclusionem illam esse scripturæ sententiam*, *quæ quidem ex illius pendet principiis*, *ac causis congruit*, *a quibus oritur*. *Hoc unum est*, *quod hic contendimus*, *non ut humanas operas a disputationibus theologicis excludamus*, *sed indicemus arma militiæ* DEI, *quibus pugnemus*. *Ipse præcipit*, inquit auctor (a) inter opera S. ATHANASII, *scrutamini scripturas*, *scrutationem vocans diligentem attentamque occultorum inquisitionem ex scripturis sanctis*: *est occultorum declaratio spei firmamentum*, *promissionum eventus*, *salvatoris inventio*. *Invenimus illum*, *de quo scripsit* MOYSES *& prophetæ*. *His vocibus &* PAULUS *ad stabiliendam veritatem usus est*. *Quod si* PAULUS, *qui audivit arcana verba*, *arcanorum ille mysta*, *qui* CHRISTUM *in se habuit loquentem*, *privata auctoritate*, *citra sacrarum litterarum testimonium*, *usus non est*: *quei non periculosum nunc fuerit*, *curam divinæ legis abjicere*, *& cordis nostri opiniones proferre?* Quisquis hic est, promtuarium theologicum recte nobis demon-

(a) Confut. quar. propos. T. II. op. S. ATHAN.

monſtrat, non proprias inventiones, ſed traditas a DEO eccleſiæ ſuæ doctrinas: quas in omni pugna, ſive fidei, ſive exercitii cauſa ſuſcepta ventilare debet, & adverſæ parti opponere theologus; alias quamvis magna contentione nihil aget. Fidem enim noſtram nihil firmare poteſt, niſi progrediatur a fide, & ſit fundatum in fidei principiis.

VI. Utinam iſta de rebus divinis diſputandi ratio vigeret, ac tandem aliquando conſentientibus theologorum ſtudiis & ſuffragiis in uſum jure poſtliminio revocaretur, quod votum omnibus cordi eſſe deberet: bene ſic cum eccleſia, bene cum academiis ageretur: DEI nomen pie celebraretur, veritas divina glorioſe triumpharet, neque ſtudioſa juventus tempus & florem ætatis perderet in pelago ſcholaſticorum metaphyſico emetiendo. Hoc omnino faciendum, niſi rationis tribunal in theologia erigere velimus, principia concluſionum theologicarum ex ratione ducendo, atque ex ipſa de articulis religionis noſtræ ſtatuendo: niſi denique propriis cogitatibus hanc divinam ſcientiam involvere, ſubtilibusque quibusdam textris carpendis cum ſophiſtis aranearum operam imitari lubeat. Quod

Cavendum hic a perverſa theologizandi ratione multorum.

cum esset factitatum multis retro saeculis a turba theologorum, dum ipsi neutiquam hoc adverterunt, male de re christiana cogitantibus ansa data est & occasio, *spiritum* quendam *privatum* obtrudendi, sibique, spreta omni ecclesiæ auctoritate, intellectum, ministeriumque divini verbi penitus attribuendi. Calvinistas hic omnia ad rationis trutinam revocasse, etiam Lutherani exprobrant, quamvis cum Lutheranis scripturam perpetuo crepent: scholastici vero multi excessisse dici possunt, si verum fateri fas sit, quod scripturas divinas, auctoritatesque fere exesse jusserint ex disputationibus, rationes meras substituentes ac philosophemata, suis subtilitatibus immersi, seductique. Utinam tam parum vera hæc forent, quam sunt indigna republica theologica orthodoxa; quam firmior multo tot curis, laboribusque constitui ejus valuisset status, ut quivis conjectari potest, qui in mentem revocarit, quantum profectum sit ab eo tempore, ab illisque, a quibus ad suam normam reductum est studium theologicum; ubi remisso ludicris inanium sophismatum glaucomatis nuntio, perplexis impeditisque scholarum tricis rejectis, quibus ceu in spinis pœne suffocatum est verbum divinum,

num, theologica tractatio opportuna est suscepta, ventilanturque theses fidei ac verbo divino, non rationis inventis innixæ.

CAPUT VII.

In argumentis theologicis quis sit usus rationis, philosophiæ, maximeque dialectices.

I. Demonstrato jam veluti armario, unde in arenam descensurus theologus arma mutuet, superest, ne quid sibi cum hoste congredienti, ad illius propulsandum impetum deesse queratur munimenti aut propugnaculi, illud etiam indicetur: *Facultas dialectica*, verba sunt S. BASILII (a), *muri instar est dogmatibus, quod ea non sinit facile diripi, & quorumlibet incursioni patere.* Quam in rem etiam HILARIUS (b) opportune, *Fidem*, ait, *non nudam apostolus, atque inopem rationis reliquit, quæ, quamvis potissima ad salutem sit, tamen nisi per doctrinam instruatur, habebit quidem inter adversa tutum refugiendi recessum, non etiam reti-*

Ratio & philosophia munimenti & instrumenti instar in theologia.

a

b

(a) Ad cap. I. Is.
(b) L. XII. de Trinit.

retinebit constantem obtinendi securitatem, eritque, ut infirmis sint post fugam castra, non etiam ut arma habentibus adsit interrita fortitudo. Quin igitur sit locus aliquis in theologia philosophiæ & sanæ rationi, in dubium revocari nequit, ne frustra videatur auctor naturæ rerum divinarum semina humanæ indidisse menti.

Nec audiendi, qui omnem rationis usum in disputationibus theologicis damnant.

II. Igitur facessant, qui principiis rationis utendum non esse in controversiis theologicis dicunt, quod alias transitus fiat de genere ad genus, μετάβασις εἰς ἄλλο γένος: ac si per quemcunque rationis usum ratio fundamentum & principium fidei constituatur, eique magisterium in theologia tribuatur, atque mixtura ex theologia & philosophia fiat. Hac ratione olim catholicam doctrinam rejiciebant Ariani de ὁμοουσίῳ, quod iisdem verbis in scriptura non contineretur. Donatistæ argumenta S. AUGUSTINI simpliciter rejicienda putarunt, quod dialectices ac rationis principiis constarent. Illi etiam adversus quos agit auctor Confutationum quarumdam propositionum inter opera ATHANASII, Apollinaristæ vel Monophysitæ, nec quærendum, nec loquendum ex scriptura præcipiunt, sua

ſua ipſi fide contenti. (a) Hodie eadem inſania laborant, qui omnem conſequentiarum principiorumque rationis uſum a theologia, & doctrina fidei eliminant etiam in Incarnationis dogmate: ut adeo iisdem merito verbis revincantur, quibus refellit antiquos illos laudatus auctor ille vetuſtus (b): *Vix reperti ſunt, qui omnia, quæ ad homines attinent, evertere contenderent, ac ſatagerent, ut homines non ultra rationales, neque ea, quæ naturaliter bona ſunt, accurate ediſcerent, quique dicerent, omnibus perutile eſſe, ut ſimpliciter, & absque prævio examine, ſacrorum librorum voces acciperent... Quamobrem ad illud Verbum caro factum eſt audiendum compellunt, nec pie intelligere permittunt, quaſi qui poteſtatem habeant, cujusque mentem arbitratu ſuo trahendi, non ad id quod decorum eſt & utile. An verbum audiam, nec congruentem ſenſum requiram? Ubi igitur aut ſermonis conſequentia, aut auditoris utilitas? Fortaſſis & ad brutorum morem homines mutari præcipiunt, ſiquidem verborum ſonos auribus quidem percepturi ſunt, ex ſenſu vero nihil fructus animo percepturi.*

III.

(a) Inter op. ATHAN. T. II. Prop. II. p. 562. E.
(b) Ib. Prop. IX. adverſus eos, qui dicunt, ita accipiendas eſſe ſacræ ſcripturæ voces, ut non conſideretur, quænam illæ ſignificent.

Quanta ex illa opinione sequantur absurda.

III. Hæc opinio ab auctore illo vocatur hæresium omnium audacissima, errorum omnium compendium, & mater fœcundissima. Et sane si semel quis animum inducat, fidem sectari sine omni prorsus judicio & disquisitione; nihil adeo falsum & absurdum erit, quod talis non admittat. Nec potior causa & ratio existet suscipiendi christiana dogmata, quam deliria Ethnicorum, aut Mahumedis impietates, impuritatesque: imo, qui ita persuasus est, pronus ad Atheismum, abnegandamque omnem penitus religionem ac Numen erit, quæ probari nisi ratione nequeunt. In omni igitur persuasione animi rationis quoddam judicium intercedat, necesse est. *Hinc porro efficitur*, inquit *Dan.* HUETIUS (a), *ea, quæ proponuntur ad credendum, ejusmodi esse, at credibilia videantur: hoc est, ut causa nulla sit, quamobrem mens judicet, talia credi nec posse, nec debere. Hæc autem mentis dijudicatio fit adbibita ratione, nec voluntatem cujusquam instigat DEUS, ut mentem jubeat incredibilibus assentiri; hoc enim esset mentem dare in perturbationem, summamque ipsi vim inferre.*

IV. Quid

(a) Quæst. Alnet. L. I. c. 4. n. 11.

IV. Quid vero dicamus de theologia hac noſtra, in cujus potiſſimum gratiam hæc ſcribimus? Ea proſus non ſubſiſtere videri poſſit ſine rationis uſu: tum quod illa ſuppeditare debeat principia cognitionis generalia, quæ intellectui connata ſunt, & ad omnem intelligentiam intercedunt; tum quod concluſiones theologicæ non ſolum ratiocinationis modum, verum etiam rationis principia includant, atque inter theologi officia illud etiam numeretur, conſenſum fidei & rationis oſtendere; pondera & momenta probationum ex locis theologicis expendere; cauſæ firmamenta, ac fundamenta indagare, dijudicare: verbo dicam, omnia illa præſtare, quæ theologicam ſcientiam a ſimplici fide diſcriminant. *Theologia*, ait CANUS (a) *citra naturæ rationem fieri non poteſt; cum enim ſit homo rationalis, eſt illi ingenita ratiocinatio, ſive agat ſecum quid, ſive cum altero; ſive velit humana, ſive divina cognoſcere. Quare ubi homines diſſerent, rationem naturalem repellere nec debent, nec vero poſſunt, niſi homines eſſe deſierint: ratio enim res omnes continet; quoquo te verteris, præſto eſt; nulla diſputatione excluditur. Quamobrem, qui naturalem rationem ab uſu theologiæ remotam eſſe*

Præſertim vero theologia ſine rationis interventu eſſe nequit.

(a) De loc. theol. L. IX. c. 4.

esse volunt, ii omnem a theologia disputationem excludunt, sine qua tamen, quid in unaquaque re verum sit, discerni, & comprehendi non valet &c. Et hoc quidem ita se habet non in accessoriis tantum argumentis, quae ab auctoritate non repetuntur; verum etiam in veri nominis theologicis conclusionibus quibuscunque, sive eae ex duabus sumtionibus per fidem cognitis deducuntur, sive quae ex una de fide, & altera per rationem cognita derivantur: deduci enim nisi per rationis officium non possunt.

Quousque in theologia sit locus rationi.

V. Dispiciendum itaque, quousque vela danda, quousque contrahenda in usu rationis. Imprimis non sunt purae putae naturales ad probandas conclusiones theologicas adhibendae, ut illae sepositis argumentis ex principiis vere theologicis usurpentur. Cavendum etiam, ne frequentius post rationes etiam theologicas accumulemus naturales; sed eum demum rectum in disputationibus theologicis rationis usum esse putemus, quando aut principia rationis, aut ratiocinationis modum argumentis vere theologicis jungimus, sicque veritatem connexionis, non sententiarum, a natura repetimus. Iste non solum licitus,

tus, ſed etiam neceſſarius eſt in theologia rationis uſus, quem qui damnat, rationis eo ipſo expertem ſe oſtendit, & cauſam chriſtianam omni firmamento deſtituit.

VI. Multo autem minus hic ferri poſſunt, qui ideo rationi & conſequentiis locum nullum in diſputationibus theologicis concedunt, quia rationem cum fide pugnare putant, aliasque naturales, alias ſupernaturales veritates fingunt. Hi nedum diſputandi exercitia e medio tollunt, quin etiam naturam omnem ſubvertunt, ſi de ratione loquantur, prout in abſtracto, præciſa ejus corruptione & cæcitate originaria, accipitur: quæ corruptio cum omnimoda non ſit, reliquit adhuc lucem aliquam, cujus ope poſſimus pertingere ad tenuem rerum divinarum cognitionem, a qua ratio ipſa multum juvatur; ut hinc divinæ doctrinæ totam ſe tradere debeat, & conformare judicium, cum firmiſſima perſuaſione, quidquid ratio contra fidem obgannit, eſſe falſum, atque innatis ignorantiæ tenebris involutum. Ita D. AUGUSTINUS epiſt. ad MARCELLINUM: *Si ratio contra divinarum ſcripturarum auctoritatem redditur, quamlibet acuta ſit, fallit veriſimilitudine; nam vera eſſe non poteſt. Rurſus ſi manifeſtiſſimæ, certæque rationi velut ſcriptura-*

Præſertim deteſtandi, qui rationem fidei oppoſitam putant.

rum ſanctarum objicitur auctoritas, non intelligit; qui hoc facit, & non ſcripturarum illarum ſenſum, ad quem penetrare non potuit, ſed ſuum potius objicit veritati; nec quod in eis, ſed quod in ſe ipſo velut pro eis invenit, opponit.

Qualis ratio adhibenda in diſputationibus theologicis.

VII. Ut igitur tuto poſſimus fidere in diſputationibus theologicis rationi, eam illuſtrari divino lumine petamus; eamque adhibeamus, quæ lumine gratiæ illuſtrata eſt, atque non ex ſuis principiis innatæ corruptionis & ignorantiæ ſtatuat, ſed eam conformem divinæ revelationi exhibeat, procedatque ſecundum normam bonæ & neceſſariæ conſequentiæ, pro facultate a DEO rationali creaturæ indita, qua dijudicatur cohærentia doctrinæ cœleſtis, quid ex illa conſequatur, quid cum illa conſentaneum ſit, ſecundum reliquias imaginis ac veritatis divinæ in homine, non accedaneam corruptionem ac cæcitatis caliginem; ad quam diſpellandam divino munere cœleſtis nobis eſt tradita doctrina.

Quos ea uſus præſtet.

VIII. Hoc modo vocare in ſubſidium ſanam rationem atque philoſophiam, eo etiam nomine contentam, non ſolum proficuum, verum etiam neceſſarium eſt, ſi conſiſtere recte debeant exercitationes noſtræ diſputatoriæ, ne-

que

que velimus omni credere, atque abripi doctrinæ vento, & irrationabile reddere fidei obsequium, neminique persuasibile. *Credamne sine judicio*, expostulat sæpius laudatus doctor (a), *nec inquiram, quid aut fieri possit, aut utile sit, aut deceat, aut DEO gratum, aut naturæ congruum, aut veritati consonum, aut scopo accommodatum, aut mysterio consentaneum, aut pietate dignum sit? Ecqua utilitas erit mihi? Aut quis menti fructus, quæ horum nihil secum reputavit, sed auditum quidem sono verborum obtulit, nullam vero dictorum cæpit intelligentiam? Deinceps si omnibus simpliciter adhibeamus aurem, nec enascentem ex eorum dictis absurditatem confutaverimus, nec dogmatum pugnæ, quæ ex perversa illorum interpretatione oritur, solutionem efflagitaverimus, quis imposterum amplius veritatis viam inveniet? Quis non facile in præcipitium hæreticorum dogmatum incidet, non considerans novorum dogmatum inconvenientiam, nec veritatis exigens convenientiam?* In omni igitur eventu theologo principiis rationis, consequentiarum, reliquæque philosophiæ est opus: maxime autem ei, qui disputando velut in arenam theologicam descendit, contra adversarios quosvis tutam præstiturus doctrinam christianam, aut probaturus, necessa-

(a) Inter op. S. ATHAN. T. II. p. 581. C.

necessarius est rationis interventus, quæ homini ideo data est, atque a philosophis exculta, ut verum a falso discriminare possit: quo officio defungitur subsidio principiorum ac notionum communium, regulis item consequentiarum, & demonstrandi artificio. Ut enim CLEMENS *Alexandrinus* sciscit (a): *Philosophia utilis est ad DEI cultum & pietatem iis, qui fidem colligunt per demonstrationem.* Quod vero in comprobanda, asserendaque doctrina christiana valet, multo magis in ea contra adversarios defendenda locum habet, & paulo post idem sanctus Pater docet, sapientiam seu fidem christianam per philosophiam, & rectam eruditionem lorica muniendam, & sophistis inaccessam servandam. Est tamen attendendum, ne quid hic excedamus.

Instrumenti loco sit ratio & philosophia.

IX. Imprimis igitur tenendum, solum ut instrumento, neutiquam ut *fundamento*, locum competere rationi, & philosophiæ: ut, quoniam ratio, & sana philosophemata fidei adversa non sunt, adjungamus principia naturæ revelatis, atque fide tenendis articulis; ut talia inde conclusa eliciamus, quæ fidem divinam illustrent, intellectionem autem perficiant & scientiam. Est vero in

(a) L. I. stromat.

in noſtris argumentationibus medius, quem vocant terminus in principali ratiocinationis ſede ſeu ſyllogiſmo, ex ſuperius indicato verbi divini ſeu ſcripti, ſeu traditi, ab eccleſia nobis propoſiti, armario depromendus; cui ſi a ratione, aut ex philoſophia, *extrema* addantur, concluſio inde fluet, doctrinam theologicam paritura.

X. Duo hic ſunt caute declinandi ſcopuli, ne talia argumenta effingamus, in quibus adverſarius ipſum rationis, ſeu philoſophiæ axioma in dubium revocare poſſit: cum tum diſputatio non amplius theologica, ſed philoſophica futura ſit, ut alibi jam monui. Hoc vitium in ſcholaſticis taxatur pariter, atque illud ſecundum, quod in ſuis diſputationibus ex principiis logicis, pro medio termino ſumtis, diſputant, ac inde ſuas concluſiones accerſunt. Propoſitis namque quæſtionibus, non ſcripturas cæteroſque theologicorum argumentorum locos ac ſedes, ſed axiomata & maximas topicas, aut eo etiam aliquid minus, ſubſternunt, in eorumque diſputationibus loci theologici muti ſunt. At nos de theologia ex principiis theologicis diſputandum eſſe vel ex ipſa philoſophia diſcimus, neque

Quæ in uſu principiorum rationis cavenda.

vagandum extra orbem ſcientiæ, in qua verſamur, logica nos edocet. Porro cum theologia ſit ſupra omnes ſcientias, eam ſubjici principiis philoſophicis non ineptum modo, verum etiam iniquiſſimum eſt, atque indigniſſimum. Quare ſumma theologiæ injuria fit, ſummus philoſophiæ abuſus committitur, quando ex illius principiis de effatis theologicis judicium inſtituitur, mixtumque quid ex philoſophia & theologia efficitur.

Quando & quouſque etiam ratio medium terminum ſuppeditare queat.

XI. Idcirco probe diſpiciendum, cum rationem philoſophiamque in theologia adhibemus, ne ſecus, quam expedit, *medii termini* inde aſſumantur, ſed ex locis theologicis; aut ſi aliquando fiat, non quidem id fiet ex neceſſitate, quaſi theologia ex proprio ſuo principio confirmandi ſua dogmata ſufficiens non ſit; ſed vel ideo, ut appareat, non ſolum lumen gratiæ, verum etiam naturæ lumen non prorſus ad veritates divinas percipiendas cæcutire. Quod tamen parce & caute faciendum, ſi forte poſt allata argumenta ex principiis theologicis deſumta otio abundemus, lubeatque poſt fortem armatum velitem ſubinde in hoſtem immittere; aut ſi adverſarium nanciſcamur, qui ſcri-

pturæ

pturæ nil defert, vel præter rationem nihil audire vult; quamvis hoc caſu a propoſita quacunque quæſtione ad dedocendum errorem transferri diſputatio poſſit, oſtendique, fruſtra in divinis, & ſupernaturalibus omnia ad rationem exigi. In minus tamen principali argumentatione & ſyllogiſmo, qui theſin non immediate ferit, etiam quandoque contingit, medium terminum ex ratione eſſe: quando nimirum adverſarius nexum medii principalis cum majore extremo negat, hoc eſt, ipſum principium rationis, in quæſtionibus præſertim mixtis, quæ conſtant altero termino revelato, altero naturali. Quod ſi igitur nexus termini naturalis cum revelato negetur, probandus eſt is ex ratione; niſi (quod non infrequenter fit) nexus iſte etiam in ſcriptura contineatur. Alias diſputatio theologica in philoſophicam abit & ſophiſticam: quando vel adverſarius malitioſe negat verum principium rationis, hincque ſophiſta eſſe arguitur; vel alter tale principium rationis affert, quod probabile ſolum ac veriſimile ſit, & ſic limitatione diſtinctioneque eludi queat: unde in alterutra parte ſophiſma deliteſcere neceſſum eſt.

Qualia principia rationis ſint adhibenda in argumentando.

XII. Huic malo tunc obſiſtimus, ſi nulla alia principia naturæ & rationis in medium afferamus, ad probandum, nos recte medio termino ex ſcriptura deſumto uſos eſſe, quam quæ a nullo ſanæ mentis in dubium vocentur, aut ab adverſario admittantur ſine hæſitatione pro univerſalibus axiomatis, regulisque æternæ veritatis. Principiis autem probabilis ſolum veritatis, quæ veriſimilitudine poſſunt decipere, & ita ſophiſtice concludere; quæ item ab adverſario facile negari, eludique valent, ut ſic diſputatio transferatur aliorſum a propoſito ſcopo theologico, quantum fieri poteſt, eſt abſtinendum, theologica gravitate ſanctitateque plane indignis. Secus contingit nos circumferri omni vento doctrinæ, ac divinas æternasque veritates partium ſtudiis, ſectis, hæreſibus etiam, & periculoſis aberrationibus proſtituendas exponi. Profecto qui in rebus theologicis ſive leviter ſive graviter errant, inde decepti ſunt, quod aut non ſanis rationis principiis, ſive etiam ſanis non ſane uſi ſint, maleque applicarint. Quod poſtremum in illis maxime myſteriis frequenter contingit, quæ divina prorſus ſunt, & rationem æque excedunt, quam naturam noſtram; myſterium e. c. Trinitatis, Incarnationis &c. quæ velle principiis

cipiis & axiomatis naturalibus implicare, dijudicareque, aperta insania est. Qua laborant hodierni præsertim Antitrinitarii, Sociniani, qui fidem ratione metiuntur, nec aliquid credendum ducunt, quod non capiunt.

XIII. His ita constitutis, ut constet, quando, quomodo, & quibus naturæ principiis sit usus; restat, ut, qualem ea usum præstent, statuamus. Quoniam, ut mox vidimus, alia sunt fidei nostræ dogmata, quibus nulla prorsus est cum rebus naturalibus connexio; alia quæ nexum aliquem habent, quæ *mixta* vocantur, ut sermone superiore jam distinximus, patet alio modo in his rationem intervenire, aliter in illis. Cum enim dogmata *mixta* arctius cum natura sint copulata, plus etiam in illis ratio valet, ut licet non ex ratione dijudicari possint (quod paulo ante in omnibus dogmatibus, totaque christiana doctrina negavimus) disceptari tamen secundum rationem debeant. Solent hoc vocare judicium discretionis, judicio decisionis integro permisso verbo DEI. Quia nimirum etiam *mixta* dogmata solum connexa sunt, & implicata termino alicui naturali, hinc non aliud judicium, arbitriumque rationi

Non in omnibus mysteriis idem locus principiis rationis est.

competit, quam de hoc nexu, non de integra propoſitione aut ſententia, cujus principalis pars ſupra ipſam poſita eſt, utpote divina & ſupernaturalis. Quodſi etiam rationem contingat in quibusdam, ut in articulo de exiſtentia DEI, creatoris, & gubernatoris, totam propoſitionem judicare, ſolum tamen ſecundum partem id præſtat, rei quidem exiſtentiam, non modum & naturam comprehendendo penitus. Idcirco autem naturaliter in iſtis totam diſcernimus ſententiam, quia cum natura connexa eſt; ens enim contingens neceſſarium præſupponit, a quo per creationem exiſtat, conſervetur, & gubernetur. Aliter res ſe habet cum myſteriis unice religionem ſpectantibus, quæ ſi cum naturalibus nexa ſunt, de hoc nexu, ut diximus, judicat ratio, judicio diſcretionis: ſi autem prorſus myſtica, ubi nihil commune habet myſterium cum natura, e.c. in myſterio Trinitatis, liquet nec judicium iſtud competere rationi, niſi aliquibus paradigmatibus, exemplis, ac analogiis, quæ tamen plerumque valde ſunt diſparata, & toto cœlo diſtant.

Judicium de contradictione

XIV. Illorum autem judicium, quæ videntur cum aliqua aperta contradi-

ctione

ctione implicata, ad rationem pertinet, quæcunque sint mysteria, de quibus quæstio institui potest, etiam unice ac præcise divina ac supernaturalia, quæ nullum cum veritatibus quibusque naturalibus nexum, ac conjunctionem habent. Cum enim verum vero contrariari nequeat, ut jam notavimus, quando de contradictoriis, seseque invicem tollentibus est disputatio, rationis arbitrium excludi nequit; dummodo circumspecte hic ratio procedat, contradictionem non fingens, ubi nulla vera adest. Quod facile hac mentis nostra cæcitate contingit, quando perversa ratio suis phantasmatis abducitur, non solum in dijudicandis rebus supernaturalibus, sed etiam in indagandis rerum naturis, quarum ingens pars adhuc magnis etiam & perspicacissimis ingeniis abscondita est. Neque vero existimandum est, hoc de contradictione judicium aliud esse quam judicium discretionis ac nexus, cum agatur de asserendo aut negando alicui subjecto prædicato competente; quod nihil aliud est, quam dispicere, utrum prædicatum subjecto conveniat, nec ne, eique sit connexum, vel non.

rationi etiam in mysteriis competit.

XV. Hoc

Judicium de nexu rationi competit.

XV. Hoc autem judicium nisi rationi concedatur, disputari amplius nequit, nisi forte per nudam historicam relationem. Quandoquidem vero demonstratio & convictio fieri debet, etiam ubi medius terminus ex scripturis est, semper hic usus rationis intercedit. Et quoniam usuvenit, eo etiam in syllogismo, cujus medius terminus ex congruis theologiæ sedibus est depromtus, ut nexum illum medii termini cum extremis neget adversarius, accidit, ut aliorsum deflectatur disputatio, nec proxime de conclusione illa theologica a nobis intenta, sed de nexu *medii* cum *extremis* procedat: aliud autem est conclusio theologica, sive nexus majoris & minoris extremi; aliud nexus medii cum extremis. Probatur conclusio theologica per medium terminum e genuinis theologicorum argumentorum locis petitum; ostendere vero nos bene usos principio theologico, per rationis principia necessario fit; quo accidit, ut rationabile etiam sit fidei nostræ obsequium. *Quæ enim*, præclare in hanc
a rem loquitur S. CLEMENS *Alexand.* (a) *ex demonstrationibus conficitur oratio, perfectam animo facit fidem, ejus quod consequitur; ut non putet, id, quod demonstra-*

(a) L. I. stromat.

ſtratum eſt, aliter ſe habere; nec ſinit, ut iis ſuccumbamus, quæ nobis per fraudem incurrunt.

XVI. Atque hic alter ille rationis, ac philoſophiæ in theologia eſt uſus dialecticæ proprius, nempe *conſequentiarum*, exercitiis gymnaſiſticis ſumme neceſſarius. Dum conſtituto quopiam, in quo inter diſputantes convenit, conſecutiones nectuntur: quibus ſi diſputationes ſpolias, vires nervosque omnes dempſeris: ait enim AUGUSTINUS, *Verum diſputatorem oſtendere* CONSEQUENTIA *his, quæ vel ſcientia, vel fide retinebant homines, ut per ea vera, de quibus ſe perſpiciunt conſentire, cogantur alia vera, quæ negaverant, approbare, & ſic verum, quod falſum antea putabatur, diſcernatur a falſo.* Quibus ſanctus hic doctor ea, quæ alibi diſſertius de diverſitate doctrinæ connexionum & ſententiarum exponit, innuit. Sed ſinamus eum ſuis verbis mentem explicare ſuam: *Aliud eſt*, inquit (a), *noſſe regulas connexionum, aliud ſententiarum veritatem: In illis diſcitur, quid ſit conſequens, quid non conſequens, quid repugnans &c. in veritate autem ſententiarum, ipſæ per ſe ſententiæ, non earum connexio, conſi-*

Quod eſt judicium conſequentiarum ex logica.

a

(a) Idem de doct. chriſt. L. II. c. 33.

consideranda est. Ut vero constet, unde utraque harum veritatum sit haurienda, eundem edisserentem percipiamus: *Cum sint veræ connexiones*, ait paulo post priora, *non solum verarum, sed etiam falsarum sententiarum facile est veritatem connexionum etiam in scholis illis discere, quæ præter ecclesiam sunt: sententiarum autem veritas in sanctis libris ecclesiasticis investiganda est.* Haud obscure hæc stabiliunt ea, quæ paulo ante de medii termini electione ex ipsis theologicis rebus diximus: qua in re cardo theologicarum disputationum vertitur, estque momentum illud, quod, dum nonnulli non satis attendunt, de ejusmodi rebus disputationem institui posse negant, quæ nihil scholasticarum perplexitatum, argutiarumque in se continent.

Notiones rerum, & methodus ex ratione & philosophia.

XVII. Alia quædam necessitas occurrit rationis, philosophiæque in theologia usus; terminorum, notionum, tractationis, & methodi. Cum enim de divinis rebus differendi, cogitandique nulla sit facultas, nisi humano modo, atque opitulantibus sensibus, aliter fieri nequit, quam ut res divinæ imperfecte a nobis comprehendantur, declarenturque humanorum conceptuum schemate. Optandum quidem foret, ne ita faciendum

esset;

eſſet; ſed quoniam aliter non poſſumus, vel inde dignoſcamus, quam parum in rerum tam ſublimium, atque intellectum noſtrum tranſcendentium ſpeculatione valeamus. Res multo magis in philoſophiæ ad theologiam adjunctione eluceſcit; accidit enim, neſcio num vitio quodam, an neceſſitate, ut jam inde a naſcente eccleſia myſteria noſtra ad philoſophorum loquendi formulas & terminos paſſim ſint adaptata, quæ ſi jam negligere quis petat, ſcientiam fere theologicam vix aliquam conſecuturus videatur. Neque enim jam in rerum cœleſtium explanatione ſimplex illa dicendi ratio obtinet, quam apoſtolus (a) in ſe deprædicat: *Sermo meus*, inquit, *& prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis, ut fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute DEI &c.* Talis erat doctrinæ cœleſtis apud divinos illos & θεοπνεύϛȣς homines forma & conditio. Quam primum vero ab illis tractari cœpit, qui humanarum ſcientiarum, philoſophiæ præprimis adminicula ad eam attulerunt, artium etiam earum terminis dogmata noſtra ſubdiderunt, quos jam nemo theologus poſſit ignorare. Qua de re ſuo loco ſumus locuti.

CAP. VIII.

(a) 1. Cor. II. 4.

CAPUT VIII.

Qua ratione robur & securitas consequentiis & principiis rationis in theologia servetur.

Unde principiis rationis & philosophiæ robur in theologia accedat.

I. Eæ, quas enarravimus, sunt causæ, ob quas theologo rationis, & philosophiæ usus necessarius est. Estque materia digna quam hic tractemus, ob fundamenta ad rei decisionem illustrationemque in superioribus jacta. Quæstio vero est, quei fiat, ut non gravi hoc pondere e sua sublimitate deprimatur theologia, & cum falli humana ratione sit pronissimum, in hac vero summi momenti scientia omnis error non solum fœdissimus, sed etiam periculosissimus existat, quæ affulgeat securitatis certa fiducia, si in disceptandis rebus fidei ratione & philosophia usi simus, quin nos decipi, aut aberrare a vero contingat, etsi nullus per se certus esse queat, quod legitimæ suæ sint consequentiæ, ac vera principia rationis, ea firmitate, quæ ad fidem divinam in nobis producendam sit sufficiens. Regula fidei, ejusque assensus aliunde quam a nobis dependet, nostra præsertim corrupta ratione, tantis ignoran-

rantiæ tenebris obſeſſa; ut adeo perpetuam erroris formidinem involvat, cum fidei infallibilitate non conſtantem.

II. Mota hæc quæſtio ad aliam nos ducit dudum a noſtris agitatam contra temporum horumce ſectarios, qui ſolam ſcripturam judicem controverſiarum, aſſertricemque dogmatum conſtituunt. Qui ſi ſibi conſtare velint, nec ſua in fide vacillare, omniaque fallibili rationis humanæ judicio committere, præter apertam, nudamque litterarum in ſcripturis ſpeciem, nihil admittere valent. Quodſi enim conſequentiis locum dent, aut etiam principia rationis adhibeant, eorum concluſa, hanc debilem ſecuta partem, nil niſi fallibile pro humani intellectus cæcutientia confectabuntur. Ut adeo homo, qui rationem fallibilem ſequitur, non poſſit eſſe certus ſuæ fidei, oportetque pro eadem fallibilitate & incertitudine rationis, concluſiones & omnia argumenta Proteſtantium non neceſſaria, ſed tantum probabilia, & ſuſpecta eſſe; cum ratio per ſua principia & conſequentias in argumentis theologicis media intercedat inter ſcripturam & concluſiones, & ſic fides a ratione dependeat.

Defectus conſequentiarum Novatorum.

G III. Hanc

Historia litis de hac re illis impactæ.

III. Hanc litem Protestantibus impactam esse proxime elapso sæculo, maxime Calvinistis, constat a PERRONIO primum Cardinale, ut jam superius memini; tum scriptis compluribus libellis, imo integris voluminibus a Jesuitis nonnullis, nominatim GONTERIO, ARNALDO, VERONIO, strenuis pro fide orthodoxa pugilibus. VERONIUS, qui hanc rem methodice egit, mox capite primo methodi, quam Veronianam dicunt, statum quæstionis informans tria illis largiter tribuit: quod eos nomine Reformantium compellere non detrectet: alterum, quod per puram scripturam reformationem non refugiat: Et tandem, quod Genevensis præli admittat scripturam. His ita antecedenter positis sic pergit: *Hoc tamen unum vos meminisse pervelim, ut purum verbum DEI producatis, non conceptiones vestras, vestrasque commentationes: quas si mihi obtruseritis, jam a confessione vestra, & fide data, acceptaque, per summam perfidiam abitis. Nec ego sano sim cerebro, mentisque compos, si repudiatis antiquorum, conciliorumque, & cæterorum fulcris, vestris commentationibus adnitar. Igitur juxta ea, quæ superius disputata sunt, quæque bona fide polliciti estis, & ex articuli quinti (confessionis) mente, duo tantum a vobis postu-*

postulo: Alterum, ut solo DEI verbo contenti veritatem eorum omnium commonstretis, quæ, ut memoratis, creditu sunt necessaria, quibus sane haud invitus fidem adhibebo, si eam veritatem bibliis contineri vel Genuensibus ostenderitis. Alterum, ut ex iisdem bibliis errores me meos dedoceatis, quod utrumque postulo: nam id & ipsi facturos vos recipitis, cum docetis, scripturam esse regulam omnis veritatis, quodque aliam agnoscatis nullam.... Aveo itaque per solum scripturæ sermonem de vestra fide edoceri. Nec, ut opinor, illud detrectabit vestrum aliquis, cum destinati sitis, ut nos nova luce collustretis: primum vero, quod postulare institi, signantius, expressiusque aperiam, ut nempe ex sola scripturæ doctrina vestrorum mihi palam faciatis articulorum veritatem, a quibus nostra pendet correctio. Hanc methodum ab ejus auctore, aut potius illustratore, Veronianam dictam quam perhorruerint, juvat audire ex quodam ipsorum sectæ theologo, *Nicolao* WEDELIO (a) in hac ipsa causa pro suis decertante partibus: *Solent*, inquit, *hodie Romanenses doctrinam evangelii contentam in confessionibus Anglica, Gallica, Belgica, Polonica &c. oppugnare ex eo, quod omnia argumenta, quæ adversus Pontificios afferuntur, constent principiis rationis,*

(a) L. I. c. 1. de rat. theol.

nis, quod quidem licitum non ſit; quod ſi verum eſt, hoc eſt, ſi principiis rationis uti non licet in argumentis theologicis, concidunt profecto omnia Proteſtantum argumenta, adeoque ipſa doctrina tota falſa erit. Nullum enim eſt argumentum noſtrum, quod adverſus Pontificios proferimus, in quo non ſint principia rationis; nam etſi medius terminus e ſcriptura ſit deſumtus, tamen evidentia, ac vis connexionis perpetuo depoſcit principia naturæ, regulas conſequentiarum, axiomata rationis. Satis ingenue hic auctor arcem cauſæ prodit, declaratque, in quo ſita ſit ratio hæc procedendi contra Reformatores eos, qui, omni alia ſpreta auctoritate, ſolam ſcripturam pro judice fidei agnoſcant, debere ex hac ſola, excluſis principiis rationis quibusvis & conſequentiis, quæ ad fidei ſublimitatem aſcendere nunquam poſſint, omnes ſuos, nobiſcum controverſos, articulos probare, & quaſi aperto exponere obtutui: argumenta vero, quæ contra nos afferunt, niſi ita nuda, & evoluta omni rationis admixtione, non ſolvenda eſſe, ſed tantum rejicienda. Hæc methodus cum magno aſſenſu, applauſuque ſuſcepta eſt, multosque patronos nacta non ſolum apud catholicos, ſed etiam apud Lutheranos, quibus itidem opportunum eſt, locum principiis

ratio-

rationis & consequentiis non concedere, imo etiam simpliciter rejicere ejusmodi argumenta. Sed illi alio consilio hoc egerunt quam VERONIUS, qui argumento tantum ad hominem hic utitur, & adversarios ex propriis principiis arguit. *Nam*, inquit cap. 11. §. 3. majoris operis, *hæc methodus superstructa est ipsorum principiis, quibus positis certum est, eos non posse probare Trinitatem, Incarnationem, & alios articulos principales contra eum, qui hoc modo contra eos procederet.*

IV. Quare frustra causam hanc ad ipsos etiam deflectit catholicos WEDELIUS loco citato: *Si principiis*, ait, *rationis uti non licet in argumentis theologicis, tum argumenta omnia ludibrio exponuntur, quibus Reformati, Lutherani, & Pontificii eos oppugnant, qui ab ipsis omnibus communiter pro hæreticis habentur. Sumamus exemplum*, pergit, *adversum Samosateniorum hæresin hodie in Polonia, & Transsylvania fæcundissimam, omnes tam Reformati, quam Lutherani, & Pontificii deitatem Filii* ὁμοούσιον *cum Patre & Spiritu sancto probant ex iis locis, in quibus CHRISTUS Filius DEI verus & naturalis dicitur. Syllogismus talis est: Qui verus DEI Filius est, is est verus DEUS, Patri consubstantialis: at*

Conantur in hac re comunem nobiscum facere causam.

CHRISTUS est verus DEI Filius: ergo est verus DEUS. Hic si Samosatenianus hoc principio nixus majorem neget, & dicat esse hic principium rationis, esse verum in philosophia, sed non in theologia, consequentiarum regulis non utendum in controversiis theologicis, & quæ hujus generis alia dici solent: anne mirum hoc, aut inconveniens videbitur illis, qui eam sententiam de principiis rationis non admittendis in argumentis theologicis tuentur. Sic iste communem causam catholicorum cum grege suo facere est annisus de admittendis in doctrina theologica rationis principiis.

Exponitur quomodo se habeant consequentiæ eorum.

V. Sed quantum in hoc fallat, non est opus pluribus declarare; res enim in propatulo est, & est perspicua impostura. Quoniam enim Reformatores scripturam unice fidei principium statuunt, nec aliam infallibilem agnoscunt in rebus fidei auctoritatem; si præter scripturam aliquid in controversiis theologicis obtrudunt, ut puta rationis principia, perit dogmatum suorum firmitas. *Memineris*, inquit VERONIUS *c.* I. operis minoris, *nihil tuarum mihi interpretationum, nihil consequentiarum loco divini sermonis esse obtrudendum: vel enim ejusmodi interpretatio sedet in scriptura,* vel

vel in ea ſedem habet nullam? Sedem ibi habet? Eam igitur interpretationem enunciet ſcriptura, quod idem faciat quavis propoſitione, quam mihi interpretaris: edicat ipſa Germanam eſſe eam interpretationem, quam venditas: tuarum enim partium eſt, inſtar organi duntaxat & inſtrumenti eam proferre: ſin vero ſedem in ſcriptura nullam habet tua commentatio, tuam fidem doli & mendacii arguis: proinde aliam de tuo cerebro veluti aliquam Pallada comminiſcere, & parturi, tum de illa diſceptabimus. In majore opere *c.* 8. octo vitia recenſet, quibus conſequentiæ & principia rationis Proteſtantum laborent. 1. Ait ſcripturam nullibi vel unam quidem ex illis conſequentiis continere. 2. Nunquam ex ſola ſcriptura eas deſumtas eſſe. 3. Sic ſcripturæ adimi judicium controverſiarum, & rationi tradi. 4. Rationem noſtram errare, ac falli poſſe; & ſic argumenta, quæ principiis illis conſtent, vitioſa eſſe. 5. Quod ſcriptura nullibi doceat concluſiones, quæ per principia rationis ex ea deducuntur, eſſe articulos fidei. 6. Quod conſequentiæ Reformantium incognitæ ſint Patribus primorum quatuor ſæculorum, imo contrariæ. 7. Quod omnes ſint ſaltem probabiles, & philoſophia maleſana, ſive ſophiſma-

tis nitantur. 8. Maxime si per principia rationis, & consequentias scripturæ, atque inde formando, eliciendoque dogmata, dignitas fidei detrahatur, & scriptura sola non amplius pro judice agnoscatur, sed fallibilis ratio.

Causa catholicorum melior.

VI. Aliter nobiscum catholicis sese res habet: cum enim scripturæ traditiones atque ecclesiæ auctoritatem adjungimus, cujus judicio ratione etiam & arte e scripturis collecta stent, cadantque, ejus infallibilitate consolidantur, roboranturque theologemata. *Si non agnosceremus*, præclare in hanc rem effatur VERONIUS in majore opere c. 70. *auctoritatem infallibilem ecclesiæ in interpretatione scripturarum, quemadmodum adversarii nostri talem non agnoscunt, incerti essemus complurium articulorum fidei nostræ, non secus atque errantes, id est Protestantes, incerti sunt omnium articulorum fidei suæ. Non enim habent loca scripturæ expressa, nec consequentiam infallibilem in ullo puncto controverso inter illos & nos. Quod plus est, & notatu dignum; si in illo principio religionis suæ persistunt, quod secundum MOLINÆUM est: Nullum hominem hodie posse controversiarum judicem esse cum infallibili certitudine, non credunt Trinitatem, nisi per*

pban-

phantasiam, & qualemcunque imaginationem: eandem esse rationem aliorum articulorum fidei, qui verbis expressis in scriptura non extant, & in quibus fundamentum nullum aliud habent, quam consequentias fallibiles. Et in minore opere methodus Veroniana inscripto c. 3. *Indubitatam*, inquit, *CHRISTUS Dominus opem suæ pollicitus est ecclesiæ, & ea duce & magistra in gemino scripturarum sensu expromendo falli non potest, quodque inde dimanat: Huic enim ut ecclesiæ auscultemus, imperat; hanc nec ulli ministro, nec sectario cuipiam opem promisit DEUS, multoque minus audiendos esse præcipit.* Ex quibus conficitur, quam dispar nostra sit causa ab illa heterodoxorum, dum consequentiis, principiisque rationis agimus in theologia. Nos enim catholici, quoniam ecclesiæ judicio ratiocinationes nostras subdimus, cujus falli nescia sit auctoritas, fundamentum fidei in petra stabilimus: *ut non jam simus*, secundum PAULUM (a): *parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia, ad circumventionem erroris.* Quod adversariis evenit, qui depravatæ, millies aberranti, ad deceptionem aliis inferendam, æque ac in se sufferendam, maxime proclivi rationi fidunt.

(a) Eph. I. v. 12.

Ratio humana & consequentiæ per judicem infallibilem probanda.

VII. Sed hæc alias: nunc enim iſtud ſolum agimus, ut declaremus, quo Lydio lapide ſint conſequentiæ, & principia rationis in theologicis ratiociniis probanda; atque ut conſtet, quid roboris hæc illis addat. Neque enim illud inficias imus, rationem, ſi recte ſit conſtituta, verum aſſequi poſſe, ſanamque etiam in rebus theologicis gignere opinionem. Sed hæc ſibi non conſtant, niſi ſit judex, qui ſuo conſultu aberrare a vero non poſſit; qui rationi recte judicanti deferat, fallentem, falſamque corrigat: Hæc omnia complexus eſt S. AUGUSTINUS trito illo: Contra rationem nemo ſobrius, contra ſcripturam nemo chriſtianus, contra eccleſiam nemo pacificus ſenſerit.

Quomodo Proteſtantes putent principiis rationis In rebus fidei robur adeſſe ſufficiens.

VIII. Omnem movent lapidem adverſarii, ut hic & ipſi infallibilem judicem extundant; ut legitimas præſtent conſequentias ſuas; inconcuſſam ac fidei congruam firmitatem concilient dogmatibus ſuis, quæ ſubſidio conſequentiarum, ac principiorum fidei fabricare conſueverunt. WEDELIUS tale judicium infallibile in veris & orthodoxis, ut ipſe liberaliter vocat, doctoribus ſuæ ſectæ reperiri putat, non quaſi errare, & labi ἁπλῶς non poſſint, ſed in quan-

tum

tum ſanæ rationi non adverſantur, eamque ut inſtrumentum fidei ſequuntur. Alibi adhuc liberalior judicium rationis in rebus fidei pertinere dicit, 1. Ad omnes homines, quibus doctrina aliqua proponitur, ſeu ad quemvis intellectorem. 2. In ſpecie pertinere ad partes contendentes, ſeu diſputantes. 3. Ad viros politicos, qui in diſputatione præſident. 4. Imprimis ad paſtores, tum ſeorſim conſideratos, tum vel maxime in ſynodo, vel concilio. Cave vero exiſtimes in ulla harum parte ſic arbitrium eum collocare, ut alius ab ejus judicio dependeat: ubi manifeſte ſe prodit principii petitio. Sic paſtori pro concione tribuit inſtitutionem ſubjectarum ovium, ut non fundetur auditor in auctoritate paſtoris, ſed tantum in verbo, cui inſervit tum prævia inſtitutio paſtoris (id eſt mentem præjudiciis de ſenſu ſcripturæ implet) tum ratio ſeu logica naturalis ipſius auditoris. Eodem modo judicio ſynodi acquieſcere fideles facit, ut tamen ſua quisque diſcretione & judicio ſtet, atque de ipſa ſynodo diſcernat. Univerſim autem tale judicium tenet eſſe de veritate connexionum in omnibus omnino enunciationibus, ſive eæ in ſola conſequentiæ diſcretione, ſive etiam in princi-

pio-

piorum rationis examine consistant. Atque in hoc statuit promissum protestanticum, se ex sola scriptura probaturos doctrinam suam, nimirum excludendo auctoritates humanas, & principia rationis a fundamento doctrinæ suæ, quod tantum in verbo locatum sit: non autem excludendo principia rationis, ut instrumentum, quo apprehenditur, & applicatur fundamentum illud.

Examinatur eorum systema.

IX. Sed nihil hæc proficiunt: ad quoscumque enim arbitrium consequentiarum, & principiorum fidei referant, semper juxta ipsorum principia etiam illud judicium humanum est, consequenter fallibile, ut adeo de veritate, infallibili persuasione, certi fieri nequeant. Unde sequitur, nullum articulum doctrinæ ipsorum posse esse articulum fidei, utpote quos non probant nisi intercedentibus consequentiis, aut principiis rationis fallibilis. *Necesse est*, in hanc rem effatur Card. PERRONIUS
a (a) *confugere ad consequentias extractas per instrumentum rationis, quæ hoc modo intervenit tanquam media inter scripturam, & conclusiones inde eductas. Hinc fit, ut si ipsa non sit certa & infallibilis, sed tantum probabilis & conjecturalis, fides etiam*

quæ

(a) Præf. respons. ad ser. Regem Angliæ.

quæ ab eo diſcurſu dependet, eandem naturam induat. Imo, ut recte judicat VERONIUS, neque fidei articulus eſſe poterit talis propoſitio, utpote errori patens, cum fruſtra quis fidei molem ſuperſtruere nitatur baſi tam caducæ. Neque etiam quoquo modo ad fidem pertinere queat, quod non omni ſua parte divinum ſit, atque verbo DEI innixum, quin quodammodo fundamentum partiale ſit interpretationis noſtræ: relicta præſertim unicuique hac auctoritate. Quæ res non poteſt niſi ſummum chaos & ingentem confuſionem in eccleſiam inducere, infinitasque religionis formas, ob diverſitatem & contrarietatem judiciorum.' Quibus ſi etiam apud probos & orthodoxos lumen divinum adjungas, nil niſi principium petis; nec ab incertitudine penitus liberaris, eoquod illud ſemper adhuc dubii remanet, quænam diſſidentium pars rei veritatem attigerit: quod rurſus eſt proprio & privato judicio decernendum, cui fidere periculoſum: cum nihil aliud ſit, quam humano fallibili judicio deferre; ſi etiam ſynodo, aut paſtori, juxta proteſtantica principia, te credas. Quodſi enim errare poteſt tota eccleſia, ut vult Reformantium doctrina, longe erit in lapſum, erroresque pronior miniſter,

ac

ac etiam ſynodus aliqua particularis, etiam nationalis.

Aſſeriturque ſecuritas catholicorum, eccleſiæ ſe dedentium.

X. Sola igitur eccleſiæ catholicæ doctrina neceſſariam ad conſtituendam fidem firmitatem præſtat & ſecuritatem in uſu conſequentiarum & principiorum rationis, quæ admittit auctoritatem externam & miniſterialem, interpoſitam inter verbum DEI & nos: ut ſit juxta laudatum PERRONIUM tanquam curia judiciaria inter legem principis & ſubditos, nobisque exhibeat ſenſum ſcripturæ jam plene determinatum, & deciſiones fidei plane formatas, & velut ovo ſuo excluſas. Hoc in cauſa eſt, ut licet magna pars dogmatum principiis rationis ſit implicata, ac magnus etiam conſequentiarum uſus, ſint tamen non pauci, qui conſequentias ad fidem poſſe pertinere negarint: ſcilicet non conſequentiarum vis, quantumvis manifeſta, fidem facit, ſed competens judicis controverſiarum tribunal infallibile apud eccleſiam a DEO conſtitutum. Quod innuit ac totum complexus eſt VERONIUS c. 3. methodi ſuæ, dum oggerenti adverſario, ac urgenti, catholicos etiam doctores fidei loco ſuggerere & ſuccenturiare, ea quæ neceſſario & luculenter ex ſcripturæ fontibus deducunt, ad hoc

pri-

primo respondet: Inter fideles constare neutiquam, id de fide videri, quod per consequentiam manat; ac proinde fas esse cuivis catholico, id pernegare citra erroris, aut cujusvis rei alterius suspicionem. Postea, cum adversarium argumento proprio fatigasset, tertio respondet recursu ad promissiones ecclesiæ factas, quam auctoris sententiam superius jam adduxi.

XI. Hæc de ista causa (quæ videri poterat nonnihil a nostro proposito remotior) afferre volui: tum ut modum istum (non ita pridem tam celebrem & frequentem) panderem, impugnandi adversarios, qui proximis sæculis reformandi ecclesiam, & ad scripturæ orbitam reducendi, audax & impertinens negotium susceperunt: cum etiam ut ostenderem, unde principiis rationis & consequentiis robur & firmitas accedat, si fidem ecclesiasticam facere debeant; atque theologus quivis intelligat, in usu principiorum rationis & consequentiis non minus se de statutis philosophorum, & regulis logices, sollicitum esse debere, quam de ecclesiasticis constitutionibus & canonibus. Nunc quæ adhuc residua sunt, de disputatoria arte theologica prosequamur.

Quid hæc tractatio ad præsentem materiam conferat.

CAP. IX.

CAPUT IX.

Ratio exercitii disputandi secundum præscriptam formam.

Disputandi forma ex fontibus theologicis.

I. Ex hucusque dictis ea omnia momenta facili negotio colligi valent, quæ requiramus ad dogmaticas disputationes rite obeundas: tum vero, quod paulo ante laudavimus, D. AUGUSTINI testimonium compendio omnia recenset, dum ne scripturæ, ecclesiæ, rationique contraeamus, suadet: *Contra rationem nemo sobrius, contra scripturam nemo christianus, contra ecclesiam nemo pacificus senserit.* His omnis theologica disquisitio absolvitur, atque unaquæque veritas catholica asseritur. Singillatim autem certamina & disputationes de rebus theologicis institutæ his concurrentibus conficiuntur; quamquam non idem cuivis istorum sit munus, ut diximus.

Ratio, ecclesia, verbum DEI qualem usum habeant.

II. Ratio enim consecutionum regulas nobis tradit solum, & veritatis, semper sibi similis, indita naturæ semina in divinarum rerum discussione promit; ut declaret superare quidem captum suum, quæ de se nobis DEUS revelavit,

lavit, minime vero repugnare. Ecclesia verbum DEI incorruptum consignat, neve imbecillitate nostra connata labamur, indulto sibi a DEO perpetuæ assistentiæ, nunquam a vero aberrandi, divino beneficio, servat; suo item judicio, quæ sane conformiterque veræ doctrinæ, aut secus a nobis sint conclusa, discutit. Verbum denique divinum basis ac fundamentum est, cui universa moles theologica inhæret: fons & scaturigo, unde omnis christiana veritas dimanat: Gazophylacium, unde thesauri scientiarum divinarum hauriuntur. Igitur verbum divinitus nobis revelatum, ratione opitulante, ecclesia dijudicante, omnem theologicam veritatem conficit.

Veritatis sententiarum & connexionis fontes.

III. Quoniam vero, ut diximus, non pari passu ambulant tria istæc in veritatum divinarum patefactione, hinc diversam etiam jam superius ex S. AUGUSTINO veritatis rationem stabilivimus *connexionum & sententiarum*, quarum ambæ studio & labore multo sint adipiscendæ, discendæque; studiosi theologiæ summopere interest nosse, qua via hanc utriusque veritatis disciplinam nancisci queat: illud autem perspicue docet sanctus doctor eo in loco, quo hanc de isto veritatum discrimine tradit doctri-

 nam.

nam. *Cum ſint*, inquit (a), *veræ connexiones non ſolum verarum, ſed etiam falſarum ſententiarum, facile eſt, veritatem connexionum etiam in ſcholis illis diſcere, quæ præter eccleſiam ſunt: ſententiarum autem veritas in ſanctis libris eccleſiaſticis inveſtiganda eſt.*

Studium præprimis fontium theologicorum commendatur.

IV. Eſt igitur theologo opera danda philoſophicis ſcientiis, unde connexionum veritatem illam diſcat, quid conſequens ſit, aut quid etiam repugnans ſanæ rationi. Sed multo major opera impendenda eccleſiaſticis libris, qui ſententiarum veritatem eccleſiæ concreditam, & in ea cuſtoditam pandant, & explicent: quod ſedulo faciunt, qui veram conſectantur theologicam diſciplinam. Non ſolum enim ea monumenta diurna nocturnaque verſant manu, quorum auctores dictis fidem certam omnino faciunt; ſed etiam ætate, canitieque, ut ita dicam, venerandi de traditionibus, atque veteri chriſtiani nominis doctrina perhibere teſtimonium valent: inde ſua argumenta depromunt, ſive fides contra adverſarios propugnanda; ſive in corde credentium roboranda; ſive etiam in ſcholaſticis agonibus exercitii cauſa adſtruenda; talibus namque armis

(a) S. August. Lib. II. de doctrina chriſt.

armis fortius defenditur, firmius ſtabilitur, certius ſuſtinetur. Nullibi vero eſt dialecticæ uſus omittendus, cum diſputationes inſtituuntur: *Nam*, ut inquit GREGORIUS *Nazianz.* (a) *logicis diſputationibus trita in lucem profertur veritas, & ut lapidum conflictu, attrituque ignis, ita inventis argumentis, explicatisque, verum elicitur, & veluti exprimitur.*

V. Atque hæc ſunt ea momenta, quibus tum theologicæ tractationes, cum præcipue diſputationes, de quibus hic ſingillatim ſermo nobis eſt, inſtructæ ſint oportet, ſi ſuis numeris debeant eſſe abſolutæ: nec illis ſimiles, in quibus de theologicis haud aliter, quam de philoſophicis diſceptatur; numquam theologicis ex fontibus aſſumuntur argumenta; id ſolum cautum eſſe videtur, ne diſſenſus fiat a veritatibus orthodoxis, non ut inde cauſarum firmamenta repetantur. Nos autem volumus, aut integris argumentis ex prædictis ſedibus theologiæ propriis agi, aut ſi axiomata rationis adhibemus, ut faculam quandam adhibendam, qua lux divinæ veritati aliunde accendatur; ratiocinandi vero arte, ut neceſſario parandæ nobis ſcientiæ inſtrumento, uten-

Cujus rei neglectus in diſputationibus ſcholaſticis carpitur.

H 2 dum

(a) Orat. II. de theologia.

dum. Auctoritatibus ergo potissimum perficiuntur tales disputationes.

Scholasticis minis sume necessaria esse confectanda non incerta, & curiosa.

VI. Quo uno remedio nos optime consultum exercitiis scholasticis disputandi censemus, præsertim quoad finem illum scopumque, qui spectandus est in prima theologorum adolescentum institutione. Ut enim liberaliter demus, etiam reperiri inter eas disceptationes, quæ non intime ex theologiæ visceribus repetuntur, nec jucunditate, nec etiam utilitate prorsus destitutas; non video tamen, quare adolescentibus ista tradi debeant, dum scholasticum demensum accipiunt. Anni perpauci sunt, quibus immensum theologiæ campum decurrere debent: quodsi præterea in devia, & diverticula ducantur, fieri aliter non potest, quin domi peregrini sint, qui foris semper vagantur. Quid vero possit cogitari stultius, quam extranea curare, domesticis supersedere? Necessaria præterire, ac curiosa solum consectari? Quod illis maxime nocet, quibus constitutum est tempus, quo prima scientiæ semina suis percipiant animis; quidquid de illis sit, qui sibi sunt relicti, & scholasticum pulverem absterserunt. Certe auspicanda talibus rebus studia minime sunt. In excolenda communi, receptaque christianæ veri-

veritatis, religionisque causa, abunde nobis laboris relictum est, ut incerta & litigiosa prosequi, quæ magis ad turbas, factionesque instruendas, quam ad veritatis explicationem conducunt, minime conveniat, insuper habito religionis arduo negotio, cujus loco nescio quæ vitilitigationes, vagæ opiniones, & controversiæ flocci tam publicis, quam privatis docendi disputandique exercitiis ferveant, lubricisque studiosorum animis instillentur. Cum econtra, si communia solum scripturæ, & ecclesiæ placita, & quæ saltem minus sunt partium contentionibus exposita, in theologicis concertationibus prima discentium coctione traderentur, melius res theologica, ecclesiasticaque haberet.

VII. Minus tamen idcirco in pugna scholastica exerceri haud contingeret studiosos theologos. Innumeri sunt, qui communem fidei nostræ adoriantur causam, ut proin ad publicum profligandum hostem, omnium intersit, subsidium ferre lacessitæ veritati. Quodsi etiam inter nostrates controversiæ sint, quæ in veritate catholica momentum habent, atque ad eruditionis ecclesiasticæ perfectionem faciant, iis theologus sese exercebit graviter & serio; utpo- In asserendis fidei dogmatis theologo elaborandum.

utpote in ſcientia, quæ æternam hominis attineat ſalutem; quod ante omnia præ oculis habere theologus debet. Prima hujusce ſacræ diſciplinæ tractatione prorſus faciendum eſt, ut, quæ certæ ſunt veritatis dogmata, ea obtineantur; quæ ſi haberi nequeant pacifice, extorquenda ſunt ab hoſtibus quibusvis, neceſſario certamine: non enim pax quærenda cum diſpendio veritatis. *Melius*, ſecundum NAZIANZENUM (a) *diſſidium pietatis cauſa ortum, quam vitioſa concordia.* Pro CHRISTO ergo libenter ſuſtinendum, neque niſi ejus cauſa belligerandum.

Exemplo ſanctorum Patrum.

VIII. Hæc non verbis tantum expreſſerunt ſanctiſſimi illi priorum temporum Patres, verum etiam ac multo conſtantiſſime opere exhibuerunt: *Tametſi*, inquit laudatus Pater, *alioquin pacati & moderati ſint antiſtites, hac tamen in re lenes & faciles eſſe non ſuſtinent, quum per ſilentium & quietem DEI cauſa proditur: verum hic admodum bellaces ſunt, atque in confligendo acres & feroces.* Dicit hæc eo in loco, ubi pulcherrima hujus rei ſimul tractat exempla, agens de laudibus ATHANASII, qui ſe facillimum præbuit, ea in componenda lite,

(a) Orat. XXI. de laud. ATHAN.

lite, quæ inter catholicos ejusdem dogmatis homines, nomine ſolum diſſentientes, orta fuerat, eodem narrante ibidem GREGORIO: an nimirum tres, in Trinitate perſonas τρία πρόσωπα, aut τρεῖς ὑποστάσεις, dici oporteat (a) ATHANASIUS, ut narrat GREGORIUS, *utraque parte lene ac benigniter accita, verborumque ſententia diligenter & accurate perpenſa, poſteaquam concordes reperit, nec quantum ad doctrinam ullo modo inter ſe diſſidentes, ita negotium tranſegit, ut nominum uſum concedens, rebus eos conſtringeret.* Aliter ATHANASIUS agendum ſibi putavit, ubi cum hæreticis res fuit; iisque in cauſis, quæ religionis caput attingebant: quo in negotio nulla hoſtium fraude circumveniri, nulla poteſtate compelli, nec arte aliqua adduci adigique potuit, ut aliquid remitteret: quod dum Patres illi Ariminenſes negligerent, malis Arianorum artibus deluſi ſunt, cum ATHANASIUS, conſtantiſſime concilii Nicæni decreto inhærens, fidei integritatem invictiſſime conſervarit. Hæc pro modulo ſuo ſequi debent exempla, theologiæ tirones, ut contra criſtiani nominis hoſtes intrepide conſiſtere in acie jam aſſueſcant, dum primis regulis & fundamen-

(a) GREG. *Naz.* Ibid.

tis etiamnum ad palæſtram theologicam exercentur: in reliquis pugnis parci & ſobrii, ne, dum minus neceſſariis tempus terunt, ſumme neceſſaria negligant.

Conferendum eſſe etiam de rebus theologicis extra diſputationis æſtum.

IX. Neque exiſtimet aliquis, vel illud tempus, quod reſiduum eſt, ab illis concertationibus, quibus momenta religionis catholicæ defenduntur, impendi poſſe agitandis quæſtionibus, concertationibusque adſcititiis: ac ſi theologiam noſtram perpetuo armatam incedere oporteat, neque unquam pacifice ſago depoſito, ſumtaque toga degere. Equidem videtur hac de theologia fuiſſe exiſtimatione longo tempore magna theologorum pars: ſed eſt hæc falſiſſima opinio, methodusque, quæ juventutis theologicæ ingenia corrumpit: ut dubitem, an non huic perſuaſioni plurimam hoſtium ſuorum partem debeat eccleſia, dum de quavis re diſputare, & univerſam religionem in controverſiam revocare aſſueſcunt theologi; certe theologia inde detrimenta experta eſt. Perpetua hac digladiatione dum otium conſumitur, hiſtoriæ & antiquitatis eccleſiaſticæ ſtudium negligitur, neque quem diſcipuli in doctrina præſertim morali progreſſum fecerint,

rint, experimentum capitur, tempore huic negotio impendendo ablato: quorum prius eam theologicæ eruditionis partem complectitur, quæ theologum, qualem formare politiora consilia gestiunt maxime deceat: alterum nemine diffitente artem artium, curam animarum, munerisque pastoralis peritiam continet: in quo fere fructum studii theologici omnem sistere deprehendet, qui universam studiorum nostrorum rationem propius spectabit. Quare sæpenumero mecum cogitavi, quænam ratio iniri possit, studiosæ juventutis diligentiam in illis etiam experiendi theologicis materiis, quæ longius a contentione absunt, & tamen theologiam ornant, summaque tum delectatione & eruditione, cum etiam utilitate necessitateque discuntur, ac docentur. Habent hujus rei, consiliique quidpiam collegia theologica, quæ magno cum fructu instituuntur. Participant ea aliquid contentiosæ & pacatæ simul exercitationis. Quodsi aliquando præjudicia facessant, & contendendi more scholasticorum æstus, studiumque deferveat, collationis quoddam genus in dando diligentiæ studiosæ juventutis specimine, magno commodo in hac re futurum confido: ubi incommoda quarum-

vis conflictationum minus ad rem theologicam conferentium facillime evitari queant, si consilii ratio recta teneatur: scilicet a discipulo responsum ad quæstionem propositam reposcatur, quo scite dato, potioribus addictis rationibus, quibus responsio fulcitur, quid in contrarium videri possit, in medium afferatur, argumento non longe adscito, tractoque: quo diluto ad alia sine ambagibus processus fiat. Sed ad propositum redeamus.

Damna ex tractatione quæstionum supervacanearum.

X. Ut vel minimus iis quæstionibus in theologia relinquatur locus, quæ in utramque perpetuo disceptantur partem, nulla finiendæ unquam litis spe, illis omnibus quæstionibus aditus est præcludendus, quæ in locis vere theologicis fundamentum nullum habent. Accidet hinc, ut non solum omnia in scholis & ecclesia sint pacatiora, sed & studia tractentur majore cum fructu, profectuque. Econtra dum infinitis aliis quotidie ex aliis emergentibus litibus distrahuntur adolescentum ingenia, patiuntur tum ipsi, tum res litteraria sacra detrimentum. Teneri incipientium animi sic occupantur præjudiciis, a quibus nec ipsi doctores immunes sunt: quæ semper in vita evitanda sunt,

non

non alia cum aliis commutanda; cum tamen caveri non poſſit, ut diſcipulorum ingenia, quando præ oculis habent controverſias, in utramque partem agitari ſolitas, in diverſa non abripiantur, quin aliquid firmi teneant. Quid ſi quæſtiones ejusmodi theologiæ plane extraneæ, meræ tricæ philoſophicæ, humani cerebri inventa ſint? Juvenile lubricius eſt judicium, quam ut poſſit inter perpetuos rationum conflictus conſtanter veritatis ponderi deferre, atque earum rerum ſuſcipere arbitrium, de quibus neque inter doctores hactenus convenit. *Joculare viſum eſt*, ait CICERO (a), *& a multis ſæpe deriſum illud GELLII Græciæ proconſulis, qui convocatis apud Athenas philoſophis, auctor fuit, ut aliquando controverſiarum aliquem facerent modum, pollicitus illis ſuam operam, ſi poſſet inter eos aliquid convenire.* Si ineptum, velle, ubi nulla ſpes affulget, inter diſſidentes partes concordiam conciliare, multo ineptius fuerit, de illis rebus tota vita fruſtra diſputare & contendere, quorum deſperatur conſenſus: aut ſaltem eo tempore talibus rebus incumbendum non eſt, quo artis principiis imbuendum eſt ingenium informandumque, in

ea

(a) L. I. de legibus p. 166. ed. Lamb.

ea præſertim diſciplina, quæ tot aſſertarum etiam veritatum habet adverſarios, quos oppugnare neceſſum ſit, ut ſarta tecta ſit eccleſia, atque ab hoſtium irruptione tuta. Romana respublica, dum adverſus exteros depugnavit, victricia ſemper tulit arma, & orbi terrarum dominata eſt: tandem inteſtinis bellis conſumta ruit, atque conſummata eſt. Catholica Romana eccleſia non habet, quod de ſua ruina timeat, cum aſſiſtentem, atque pro ſe pugnantem habeat divinum Spiritum, quem perpetuo eidem adfuturum, apertiſſimis teſtimoniis ſcriptura adpromiſit. Enimvero hoſtium numerum ac vires accreſcere, audaciam ſtimulari, nemo inficias ibit, quando domeſticas fovent lites, quibus cauſas fidei tueri incumbit.

Quibus rebus diſcipulorum animi imbuendi ex hactenus dictis colligitur.

XI. Hæc mea eſt ſententia; eam vero hunc in finem protuli, ut quoniam tractandi theologiam provinciam ſuſcepi, initæ viæ rationem reddam, qua ſtudioſæ juventutis profectus juvetur, meliusque accuretur bonum. Sentio autem hoc præſtandum, ſi neceſſariis primum communibus & aſſertis imbuantur diſcipuli; controverſiæ eæ tantum diſceptentur, quæ contra publicos veritatis hoſtes defenduntur, aut ſi qui ex noſtris

ſtris contentioſius in dubium vocent, quod ad religionis negotium propius pertinet, & eruditionis momentique non modicum præſefert. De aliis rebus theologo dignis pacifice conventio fiat: incertorum & jurgiorum ſcholaſticorum nulla ratio habeatur. Univerſim vero nihil in diſquiſitionem theologicam veniat, quod ea, de qua res agitur, theologia, revelatis nimirum veritatibus nixa, proprium ſibi non vendicet: hoc eſt, quod ex nativis ac vere theologicis principiis non ſit repetitum: quod mihi ad reſtaurandam ac primigeniæ ſuæ integritati reſtituendam theologiam, idque eliminandum, quod corruptum clamant in ea, præſentiſſimum remedium ſupereſſe videtur.

XII. Neque hoc difficile futurum eſt, aut ideo exercitia diſputandi intercident, ſed meliorem digrioremque nanciſcentur faciem. Loci argumenta colligendi, ac ſedes longe ampliſſimæ ſunt, atque multo plures, quam ſicca illa ſophiſtica in arena. Neque enim veritas theologica, qua religio chriſtiana, fidesque catholica eſt fulcienda, tutius fortiusque aſſeri queat, aut de ejus firmitate certius experimentum ſumi, quam collatione, comparationeque locorum ver-

Qua ratione hactenus præcepta uſu terenda.

verbi divini revelati; contextu orationis, propria nativaque ſententiæ explicatione, adhibita eccleſiaſticæ traditionis, aſſertionisque forma, analogia fidei, doctrina canonum, ſententia doctorum, uſu, praxique eccleſiarum, relatione hiſtoricorum factorum, omnisque antiquitatis eccleſiaſticæ expenſis momentis, atque libratis: quibus ſobria adhibeatur dialectica, conſecutionum, ratiociniorumque juſta teneatur forma. *Namque*, ut ſæpe jam ex D. AUGUSTINO inculcavimus, *aliud eſt noſſe regulas connexionum, aliud ſententiarum veritatem:* Et CICERO (a) alia in cauſa quædam ediſſeruit, quæ etiam theologo uſui futura ſunt: *Quæ omnia*, inquit, *quaſi ſepimento aliquo vallabit diſſerendi ratione, veri & falſi judicio, ſcientia & arte quadam intelligendi, quid quamque rem ſequatur, & quid ſit cuique contrarium.* Iſto modo ſi rationis ac philoſophiæ rectus uſus cum dogmatibus catholicis copuletur, ordinata quam pulcherrime ſtabit theologia, & depugnabit graviſſime, quando nobis erit cum hoſtibus res: quodſi domeſtica curet negotia, maxime chriſtianis in moribus formandis, dignitatem omnem, ſanctitatemque ſpirabit, quæ Spiritus ſancti tem-

(a) L. I. de legibus ad finem.

templum deceat. In exercitiis etiam disputandi illud obtinebitur, ut ne argumentationum fila tendi, protrahique contingant eousque, quod in subtilitatibus humano e cerebro natis, aranearumque telarum instar duci solitis, proclive est. Accidet, ut ambages omnes tollantur; rei statim jugulum petatur; lites de nomine procul absint, ac evagationes quævis; hæreamusque firmiter & immote, ad quem collineamus scopum. Sed ille palmaris maximeque eximius erit fructus, ut sic dogmata theologica, ex involucris scholasticis evoluta, resplendeant: cujus rei peculiari dissertatione duo de sacramentis exempla posuimus, *efficientiam* & *characterem*.

CAPUT X.

Illustrantur hactenus dicta eorumque usus ostenditur exemplis argumentationum theologicarum ex scripturis.

I. Demonstrationum est summa vis ac maximus usus in omnibus scientiis, quibus certa cognitio parienda est. Quæ sit earum necessitas & usus insignis rebus in theologicis, ubi sum-

Recapitulatio eorumq; dicta de demonstrationibus

theologicis. ſumme arduum vergitur religionis negotium, quæ hucusque ſunt expoſita declarant. Talis vero cum ſit demonſtrationum natura, ut ex certis & indubitatis principiis alia colligamus, principia autem non eadem ſint aliis in ſcientiis quam noſtra in theologia, quæ ex revelatis a DEO veritatibus ſuas elicit cognitiones, qualiter tamen ex inſitis ſuis principiis rite demonſtrando procedat docuimus: patuitque, quam perverſe illi agant, qui in theologicis theologica principia non adhibent, nec ea familiaria ſibi reddere laborant illi ipſi, qui majorem in partem egregios ſeſe dialecticos jactant, nec tamen advertunt, dialecticis regulis ſeſe quam maxime obniti, quæ cavent: ne *de genere in aliud* diſputando prolabamur, neque ex alienis principiis arguamus.

Ac confirmatio ex ſcripturis ſacris.

II. Neutiquam vero hac ratione diſputandi opera peritura eſt, quod cum auctoritatibus ſic omnia tranſigantur, filum illud ac catena conſecutionum, ex quibus argumentationes componuntur, nullum futurum ſit. Qui præſcriptam in ſuperioribus perpenderit, uſuque exercebit methodum, experimento diſcet, poſſe etiam ex principiis mere theologicis ſecundum omnes locos a diale-

cticis

ēticis traditos argumenta trahi, ut vero res magis confirmetur, & contra obtrectatores tuta ſit, afferam ex ipſis ſacris litteris exempla; neque ejuſmodi tantummodo, quæ nudis conſequentiis ſunt confecta, ſed quibus etiam axiomata rationis inſint: conſequentiarum item duplicem ſpeciem in iiſdem ſcripturis deprehendere eſt; unam earum, quæ ex topicis ſunt elicita, alteram ex textibus ſcripturæ.

III. Unicum caput vigeſimum ſecundum MATTHÆI omnium horum exempla exhibet: Imprimis enim argumentatione in forma, ut vocant, judicavit CHRISTUS cæſari cenſum eſſe dandum, dum ab Herodianis requirebatur: Principio autem e natura petito, arguit eodem in capite Sadducæos, conjuncto ſacræ ſcripturæ e veteri teſtamento teſtimonio. Sadducæi malam formarant conſequentiam contra reſurrectionem corporum ex lege MOYSIS argumentando, nuptiarum in hac vita contractarum, & in altera renovandarum difficultate; CHRISTUS vero principio e lumine naturæ accerſito, *DEUM nempe non eſſe DEUM mortuorum, ſed vivorum*, eos redarguit, reſurrectionemque mortuorum adſtruit: *De reſurrectione autem mor-*

Argumentorum exempla plura ex Math. c. XXII.

tuorum, inquit, *non legistis, quod dictum est a DEO dicente vobis: Ego sum DEUS ABRAHAM & DEUS ISAAC, & DEUS JACOB? Non est DEUS mortuorum, sed viventium.* Multi multa hic disquisierunt de vi & natura argumenti a CHRISTO allati: quidam etiam illud robore ac virtute apodictica destitutum asserere non sunt veriti, tantum non sophistam, absit blasphemia verbo! CHRISTUM facientes: qui neque nexum doctrinæ Sadducæorum ob negatam immortalitatem animæ absurditatem resurrectionis corporum concludentes, attenderunt; neque satis digne de DEO conditore nostro judicant. DEI perfecta sunt opera, adeoque, dum corpori humano animam immortalem conjunxit, neutiquam permittere potest, ut in æternum ab eo post mortem separatum maneat, quin illud resuscitet. Hæc qui singula considerarit vim ineluctabilem argumenti CHRISTI deprehendet, paucis verbis integram demonstrationum catenam complexi. Sed ad alia pergamus. Messiæ id est suam divinitatem CHRISTUS Pharisæis eo ipso capite ex illo psalmi centesimi noni commate, *dixit Dominus Domino meo*, demonstraturus argumentum repetit: *Si ergo*, inquit, *DAVID vocat eum Dominum, quomodo*

Filius

Filius ejus est? Judæi enim Filium DAVID Messiam futurum secundum naturam humanam scientes, DEUM futurum non promiscue agnoscebant. Itaque exiguo temporis spatio CHRISTUS omnes vere theologicos ratiocinandi modos nos docuit; fuerunt enim, ut ex evangelista patet, hæc omnia eodem temporis tractu peracta; ut abscedentibus Herodianis, statim Sadducæi, post hos Pharisæi, sint subsecuti.

Ex PAULI quodam loco argumentorum theologicorum formæ ostensæ.

IV. PAULUS itidem, cum de velandis fœminis, non autem viris, ad Corinthios suos scriberet, formas, quibus in theologicis disputationibus locus esse posset, est complexus: locum recitemus: (a) *Omnis vir orans, aut prophetans velato capite, deturpat caput suum: omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum.* Hic veluti disputationis thesin constituit apostolus. Medium probationis jam priore versu præmissum erat: *Volo autem vos scire, quod omnis viri caput CHRISTUS est: caput autem mulieris vir.* Tum postea argumentum instruit: *Vir quidem*, ait, *non debet velare caput suum; quoniam imago & gloria DEI est, mulier autem gloria viri est.* Deinde ex

(a) 1. Cor. XI.

hiſtoria Geneſis probat, mulierem gloriam viri eſſe: *Non enim*, verba ſunt apoſtoli, *vir ex muliere, ſed mulier ex viro: etenim non eſt creatus vir propter mulierem, ſed mulier propter virum: Ideo debet mulier poteſtatem habere ſupra caput ſuum propter angelos.* Hic ex cauſa & fine creatæ mulieris tegi ejus caput debere oſtendit apoſtolus. Ne vero quis putaret, cauſam hanc creationis mulieris virum principalem eſſe, non DEUM, ſtatim addit: *Verumtamen neque vir ſine muliere, neque mulier ſine viro in Domino: nam ſicut mulier de viro, ita & vir per mulierem; omnia autem ex DEO.* Poſtea jam ex naturali rationis judicio porro arguit: *Vos ipſi judicate*, ait, *decet mulierem non velatam orare DEUM? nec ipſa natura docet vos, quod vir quidem, ſi comam nutriat, ignominia eſt illi: mulier vero, ſi comam nutriat, gloria eſt illi: quoniam capilli pro velamine ei dati ſunt.* Atque ſic PAULUS ratiocinium ſuum abſolvit. Sed ut res adhuc manifeſtior fiat; alia his exempla adjungere juvat, ut qui has formas minus idoneas ad diſceptandum rati ſunt, dedoceantur; alii, quemadmodum in uſum redigantur, exemplis biblicis doceantur.

V. Pri-

V. Primum de ratiociniis, quæ solis consequentiis constant, agamus. CHRISTUS apud JOANNEM Judæorum abjectionem declarat ista ex causa, quod verbum DEI non audiant: *Qui ex DEO est*, (a) inquit, *verbum DEI audit: propterea vos non auditis, quia ex DEO non estis.* Apostolus etiam ex eo, quod potestates sint a DEO ordinatæ, concludit hominem potestatibus subdi debere: *Omnis anima*, (b) ait, *potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas, nisi a DEO; quæ autem sunt, a DEO ordinatæ sunt: Itaque qui resistit potestati, DEI ordinationi resistit.* Sic & PETRUS arguit, scripturæ interpretationem neminem sibi suo sensu arrogare debere, nec humana prudentia, aut perspicacia sine luce Spiritus sancti, sensum & intellectum ejus perspici: *Hoc primum intelligentes*, ait (c), *quod omnis prophetia scripturæ propria interpretatione non fit: non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti DEI homines.* Genesis c. 3. homo in humum reversurus asseritur, quia de humo sumtus sit. Infinitum foret, omnia ejusmodi exempla

Exempla consequentiarum in scripturis.

a

b

c

(a) Jo. VIII. 47.
(b) Rom. XIII.
(c) 2. Petr. I. 20.

pla ſacræ ſcripturæ adferre: hæc ſpeciminis loco eſſe poſſunt, ut qui ſcripturas lectitant, talia annotent, diſcantque expedite argumenta invenire, propoſitionem aliquam cauſalem eliciendo, & rationem cogendo.

Argumentorum ex ipſa ſcriptura petitorum exempla.

VI. Ad eas conſequentiarum formas pergimus, quæ propius ad inſtitutum faciunt: qua ratione nimirum ipſi ſacri ſcriptores novi teſtamenti ex aliis ſcripturis veteris teſtamenti argumenta elicuerunt. In evangeliis obvia ſunt exempla, quædam eorum ſupra commemoravimus: ex PAULO deinceps tantum aliqua, ne longiores ſimus, attexamus. Is parem Judæorum cum gentibus ſub peccato ſtatum oſtenſurus pſalmographi teſtimonio rem conficit. *Cauſati enim*
a *ſumus*, (a) inquit, *Judæos & Græcos, omnes ſub peccato eſſe, ſicut ſcriptum eſt: quia non eſt juſtus quiſquam:* & quæ deinceps ſequuntur. His autem ita conſtitutis porro ſuum urget argumentum, ut concludat, operibus legis Judaicæ non
b juſtificari hominem. (b) Pari ratione ſcortationem prohibitam idem gentium apoſtolus ex illo Geneſis probat: *Erunt*
c *duo in carne una.* (c) CHRISTI deitatem

(a) Rom. III. 9.
(b) Ib. V. 11.
(c) 1. Cor. VI.

tem PAULUS Hebræis demonſtraturus, multis teſtimoniis e vetere lege adductis id præſtat; conſequentiis etiam adductis ex miniſterii præſtantia, & gloria ipſius, atque præ angelis excellentia. (a) Paria pro CHRISTI divinitate reperies eadem ad Hebræos epiſtola capite ſecundo. Quin imo nemini ignotum eſt, quid Athenis a PAULO ſit factum, cum diſputationis ſuæ argumentum ex aræ cujusdam inſcriptione, quæ Ἀγνώςῳ Θεῷ dedicata erat, accepit. a

VII. Quodſi etiam in ſcripturis divinis exempla requiramus, in quibus rationis humanæ axiomata conſpiciantur, præter illud clariſſimum ex MATTHÆI vigeſimo ſecundo ad comprobandam contra Sadducæos reſurrectionis mortuorum fidem; idem MATTHÆUS aliud nobis de CHRISTO ſcriptum reliquit, ſimiliterque MARCUS refert. (b) Cum enim CHRISTUS cæcum mutum, & dæmonio obſeſſum liberaſſet, turbasque hoc miraculum in ſummum ſtuporem adduxiſſet; Phariſæi calumniabantur, eum in principe dæmoniorum ejeciſſe dæmonium, quos falſi CHRISTUS arguit b

Argumenta CHRISTI, in quibus principia rationis.

 ratio-

(a) Hebr. I.
(b) Matth. XII. Marc. XI.

ratiocinio constante axiomate naturali: sic vero ratiocinatur: *Omne regnum divisum contra se desolabitur, & omnis civitas, vel domus divisa contra se non stabit &c.* Apud JOANNEM CHRISTUS Judæis peccatum, quod in eum non crederent, partim naturali ratione, partim suamet ipsorum confessione coarguit perspicua argumentatione. Cum enim CHRISTUS cæco a se sanato suæ divinitatis fidem revelasset, missionisque officium exposuisset: In judicium se nempe venisse in hunc mundum, ut, qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant. Pharisæi cum hic se tangi persentiscerent, atque ex CHRISTO percontarentur: num
a & ipsi cæci essent? Sic sunt excepti: (a) *Si cæci essetis, peccatum non haberetis: nunc vero dicitis, quia videmus: peccatum vestrum manet.*

Similia ex PAULO argumenta.

VIII. Ex PAULO etiam ut quædam specimina exhibeamus: Corinthiis per obvia humani commercii documenta monstrat, atque etiam addita ex veteri testamento allegoriæ applicatione confirmat, demum naturali æquitatis ratione concludit, ministros evangelii nutriendos:
b (b) *Quis militat*, ait, *suis stipendiis un-*

(a) Jo. XVIII. 23.
(b) 1. Cor. IX.

unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? Numquid ſecundum hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit? Scriptum eſt enim in lege MOYSIS: non alligabis os bovi trituranti. Nunquid de bobus, cura eſt DEO? An non propter nos utique hoc dicit? nam propter nos ſcripta ſunt, quoniam debet in ſpe, qui arat, arare, & qui triturat, in ſpe fructus percipiendi. Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi nos carnalia metamus. Haud ſecus naturali ratione ex diſſolutione conjugii, mortuo uno conjugum, declarat legem veterem morte CHRISTI, ac noſtra in CHRISTO expiraſſe, ſolutamque eſſe. (a) Ad eosdem Romanos inductione a figulo ſumta quodvis vas pro lubitu ſuo formante diſputat, conficitque DEUM non poſſe accuſari, ſi peccatores ſuis ipſorum culpis, propriisque demeritis perire permittat.

(a) Rom. VII. 1. &c.

CAPUT XI.

Exemplu disputationum ex traditione & controversiis fidei, unde earum utilitas ostenditur.

Theologicæ disputationes expositionibus relationibus historicis &c. transiguntur.

I. Antequam rem ipsam aggrediar, monere debeo, in theologicis disputationibus non omnia semper consequentiis & syllogismorum formis transigenda esse, cum magnam partem theologica eruditio historica notitia, aut hermeneutica arte constet, quæ nexibus ratiociniorum non admodum indigent, sed simplici solum expositione, declaratione, explicationeque ex utraque adversantium parte absolvuntur. Dum etiam loca parallela, aut ἀντίφωνα contenduntur; aut ex aliis locis theologicis, præsertim sacræ traditionis, & historiæ, antiquitatisque ecclesiasticæ, monumenta conferuntur: cujus rei major multo in theologicis est usus, quam prima fronte is forte existimet, qui in scholasticis velitationibus solum est exercitatus. Usus hic se extendit ad universam rem christianam illustrandam, atque dogmatum veritatem asserendam, eorumque in orbe catholico omni tempore consensum commonstrandum.

II. In

II. In theologia christiana doctissimi illi juxta ac sanctissimi viri, Patres, sacrarum præprimis scripturarum auctoritate controversias suas transegerunt; nec non & traditionis, & doctorum christianorum testimoniis, qui in re christiana doctrinæ laude floruerunt. His armis hæretici omnes prostrati sunt, disciplina ecclesiastica constituta, & conservata. Exemplis omnia christiani nominis monumenta sunt repleta. Obvia quis cujuspiam concilii acta in manus sumat, aut quorumvis ecclesiasticorum negotiorum controversiarumque, quæ unquam inde a christiani nominis primordiis fideles inter se commiserunt, historiam pervadat, his omnia transegisse intelliget: quibus & hæreticos convinci cognoscet, qui scripturæ suis propriis deliramentis infuscatæ, omne judicium deferunt, & illorum falsam sententiam deprehendet, qui scholasticas disputationes ad contortas & subtiles vitilitigationes restringunt, in quibus argumenta ex sedibus theologiæ propriis non repetuntur, sed futilibus philosophematibus decertatur, principiis vero theologicis omnis fere locus occluditur. Quibus nos ineptiis relictis, momenta vere theologica, & digna, quæ in hac sublimi & cœlesti disciplina locum oc- Exemplo SS. PP.

cupent, exemplo ſanctorum Patrum in noſtris exercitiis ad manum ſumamus, atque eorum robur & firmitatem illis machinis tentemus, illisque munimentis, quæ aliena non ſunt, ſed domeſtica & ex armario proprio petita, niſi quantum adminiculis rationis, ceu inſtrumento, opus eſt.

Ac juxta naturam diſputationum dogmaticarum.

III. Varie autem aut conciliorum pontificisque ſummi decretis, aut perpetuo doctrinæ uſu, conſenſuque, ſacrarum a DEO hominibus manifeſtatarum veritatum lux accenditur; quam theologus iſtis ex locis accipit, & in diſciplinæ ſuæ articulos refert. In exercitiis vero gymnaſticis ex contrariorum oppoſitione veritas evolvitur ceu ex nubium obvolutione, quæ lucis hujus divinæ in ſe nitorem non minuit, oculis tantum noſtris quandam obſcuritatem offundit, quibus diſpulſis gratior longe ſit ejus ſpecies, ut a tenebris deinceps nihil timeat, quas cæci in ſe ſufferendo, aliis etiam injicere allaborant. Neque etiam hic vane quis formidet, in diſputandi ratione dogmatica, ubi auctoritatibus plurimum eſt locus, funem aut ſeriem innexarum ſibi ratiocinationum eſſe defuturam. Non enim ſententiis nudis rem agimus, ſed con-

ſequentiis inde elicitis, axiomatibus inſuper additis, ſi opportunum, ex ſana philoſophia, & ratione: declarationibus, expoſitionibus &c. etiam locum damus, ex conſenſu orthodoxæ antiquitatis, analogia fidei, natura rei ſubjectæ, locis parallelis &c. Unde poſſit perpetuum, non orationis, ſed argumentorum trahi filum, ſyllogiſmorum, & quæ ſunt alia argumentandi genera, catena connexorum ſerie, ita ut vel auctoritas dialectice diſpoſita opponatur, vel poſita prius auctoritatis ſententia argumentum poſtea inde deducatur, aut conſequentia ſeu concluſio ex teſtimonio mox ſubnectatur, & qui ſunt alii modi a dialecticis conſtitui ſoliti, aut uſu etiam, ipſoque exercitio ſuapte ſe prodentes, cui uſui plura ad hoc momentum attinentia promenda relinquo. Is tam antiquus exiſtit in religione chriſtiana, quam ipſa fere religio in omnibus controverſiis fidei ac diſquiſitionibus ſacris locum nactus, a quo tempore illæ increbuerunt. Diſtinguit autem theologiam a fide, atque a ſimplicitate illius theologiæ, quæ felicior quidem foret, ſi hominum ſtudia abeſſent præſertim autem adverſantium puritati fidei molimina.

IV. Eſt

Quantum lucis veritati fidei accedat, si impugnetur, & adversarios nanciscatur.

IV. Est hoc, ut animadvertit doctissimus PETAVIUS (a), usu prius omnium temporum, quam AUGUSTINI testimonio comprobatum, singulas quasque hæreses intulisse ecclesiæ proprias quæstiones, contra quas diligentius defenderetur scriptura divina, quam si nulla talis necessitas cogeret. Ac tum multa ad fidem catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine agitantur, ut adversus eos defendi possint, & considerantur diligentius, & intelliguntur clarius, & instantius prædicantur, & ab adversario mota quæstio discendi existit occasio. Nec solis tunc argumentis (porro sagacissime conjicit idem ille celeberrimus theologus) & sententiis, catholica contra illorum impetus causa fit instructior; sed etiam defectu vocum, & cautione vigilantius ab eorum insidiis, calumniisque defenditur: *Cum enim graviora hostium prodiere certamina*, ut ait (b) GREGORIUS M. *tunc sunt profecto subtiliora sensuum spicula requisita, tunc argumentorum obstacula, tunc perplexior indago verborum.*

Exemplis ostenditur.

V. Istius rei innumera in medium afferre licet exempla: ex illis duo genera,

(a) De theol. dogm. Tom, I. Lib. I.
(b) L. XIII. Mor. c. 3.

ra, in quibus præcipua fidei catholicæ vergunt capita, ex antiquitate seligemus, θεολογίας, quo nomine vetustiores, quæ Divinitatis Trinitatisque erant, solum complectebantur, & οἰκονομίας, quo verbo Incarnati Verbi mysterium explicabant. De primo θεολογίας mysterio primum agamus.

Ante ARIUM multi Patres non satis limatas de Verbi divinitate ediderunt sententias.

VI. Quis in veterum illorum Patrum sententiis, Nicæna synodo, Arianaque perfidia superiorum, non omnino rudis & peregrinus ignoret, eos nonnunquam incautius, nec ad eandem ἀκρίβειαν, quæ postea adhibita est, de Trinitate, singillatim de divini Verbi æqualitate cum Patre, scripsisse. Utut enim eorum orthodoxiæ nihil detrahamus, fateamur tamen, necessum est, verbis nonnunquam ejusmodi eos esse usos, quibus aut simpliciores, ne quid gravius cum PETAVIO dicam, decipi, & in errorem duci quiverint, imo quæ malignis, & perverso studio abreptis, pestilentium dogmatum occasio extiterunt: quod de Ariana hæresi verissimum deprehenditur. Ut enim TATIANI, ORIGENIS, TERTULLIANI, haud meminerim, quorum in aliis etiam rebus enormes fuerunt errores; nec LACTANTII etiam rationem habeam, cui majus studium

Vide-

videtur fuisse elegantiæ sermonis, quam accuratio doctrinæ. JUSTINI sanctissimi martyris, acerrimi fidei nostræ propugnatoris, sententia non una est notata a doctis, ubi minorem Patre Filium, etiam antequam nasceretur, & homo fieret, ponere videtur. De eo conqueritur GREGORIUS *Nissænus* eadem fere eum expressisse verbis, quæ ARIANI doctrina tenuerunt, *Patrem supremum conditorem, ac DEI inferioris opificem.* Ejusmodi etiam de ATHENAGORA, THEOPHILO, IRENÆO, CLEMENTE & DIONYSIO *Alexandrinis*, GREGORIO *Taumaturgo*, METHODIO, LUCIANO, viris sanctitate, & doctrina celebribus, sententias non satis limatas de Verbi divinitate animadvertunt eruditi, ex quibus ARIUS venenum suum vendibile reddere conatus est, auctoritateque stabilire, quamvis alia horum ipsorum sanctissimorum virorum fidei rectæ congrua testimonia contra eundem ARIUM afferri potuerint, & allata sint, quibus & ab errore, & a patrocinio erroris sunt liberati. Unde vero acciderit, ut constantem, eundemque non semper usurpaverint sermonem? Nisi quod necdum lacessita ab hæreticis hujusmodi dogmata certis etiamnum non fuerint con-

stri-

ſtricta terminis, quos ultra citraque verum jam non conſiſteret.

VII. Hæreticorum vero ſemel ex una parte emerſis erroribus, ita etiam iisdem contraire ſategerunt, ut in adverſum prolapſi viſi eſſent quandoque Patres. Cujusmodi ex allatis ſuperius non pauci, dum SABELLIUM perſequerentur, & Patripaſſianos, qui iidem multorum opinione ſunt cum Sabellianis, divinasque confundebant perſonas, in oppoſitum poſtea ab ARIO invectum errorem nonnihil inclinarunt, quemadmodum ſuperius eſt dictum. Qualis imprimis DIONYSIUS ille *Alexandrinus*, cujus contra SABELLIUM epiſtola *Tom. I. conc. ed. Labb.* eſt deſcripta, in qua indigna quædam Verbi divinitate ſunt ab eo prolata; de quibus a cognomine DIONYSIO admonitus ſeſe purgavit, & catholicum dogma profeſſus eſt, ut ex altero ejus ſcripto, quo PAULI *Samoſateni* impias quæſtiones ad ſe exaratas diluit, eluceſcit. Poſt ARII vero hæreſin, caput efferentem, quidam, nominatim MARCELLUS *Ancyranus*, dum vehementius in ARIUM invehuntur, in Sabellianiſmum incauti incidiſſe viſi ſunt. Sed jam certis veluti finibus contra u-

Magis aſſertum dogma dum adverſarios eſt nactum.

trasque extremitates constitutis, cui a-pertæ veritati obsistendi libido non est imprudens peccare nemo valet, amba-rum partium deviis contra hæreticos præclusis.

Idem contigit antequam divinitas Spiritus sancti lacesseretur.

VIII. Qualis de Verbi, parum ab-similis de Spiritus sancti divinitate est ratio. Non ejusdem modi omnia an-tiquorum de ea sunt effata, ut nihil de apertis Pnevmatomachorum com-memorem erroribus. Certe de Spiritu S. opinionum mirificam varietatem S. a GREGORIUS *Naz.* (a) suo tempore notarat: quem alii energiam meram, id est, efficientiam dicebant; alii creatu-ram; alii DEUM; alii, cuinam attribuen-dus generi esset, ignorabant, sacras, ut ajebant, litteras veriti, quæ nihil su-per hac re expressum haberent. Itaque nec venerabantur ipsum, nec dehone-stabant, medium quiddam obtinentes. S. BASILIUS seditionem veritus, pub-lica in concione DEUM appellare Spi-ritum S. non est ausus. Nec Constan-tinopolitana synodus DEI nomen Spi-ritui S. expresse tribuit, cum tamen Filium DEI DEUM de DEO aperte pro-nunciet. Quæ in causa sunt, quare non so-

(a) Orat. 37.

ſolum Sociniani, qui Trinitatis fidem ſubvertunt, verum etiam catholici nonnulli, veluti ERASMUS in ſua ad S. HILARIUM præfatione, neque hunc, neque alios antiquiores DEUM appellaſſe Spiritum ſanctum putent: ſed mendacii convicti ſunt a noſtris, qui luculentis teſtimoniis ex veteribus illis collectis, eorum de Spiritus ſancti divinitate catholicam profeſſionem oſtenderunt; licet non dilucida adeo voce, ut ſubinde aliud verba referre non videantur. Nempe nondum contra hæreticorum obſtinationem publicis monumentis ſtabilito non ſolum fidei conſenſu, verum etiam notionum, ac vocum uſu. Patet igitur fidem myſterii Trinitatis, ſeu θεολογίας, dum contra hæreticorum inſultus diſputando defenditur, elucidari.

IX. Idem in myſterio οἰκονομίας, ſeu Incarnati Verbi, obſervare eſt, quod variorum ex adverſo pugnantium inter ſe perverſorum dogmatum impetu eſt quaſſatum: quorum alterum divinitatem, alterum humanitatem laceſſit; aliud vinculum ἑνώσεως, ſeu unitionis ſcindit, aliud confundit: ut jure poſſit uſurpari, quod NOVATIANUS (a) auctor peranti-

Incarnationis doctrina dum quoad utramque naturam CHRISTI impugnatur, definitur.

(a) Lib. de Trinit.

tiquus scripsit : *Revera inter duos latrones crucifigitur* CHRISTUS, *quomodo fixus aliquando est, & ita excipit hæreticorum istorum ex utroque latere sacrilega convicia.* Num vero sana & catholica ecclesiæ fides, utraque ex parte erroris patente via, in utrum latus paululum deflexa est? aut hostium utrinque irrumpentium incursioni concessit? Imo eorum animadversis insidiis mediam sese tunc maxime communivit, & circumvallavit, cum facta lacessitio est, contra eos similiter, qui vel divinitatem Verbi divini in dubium vocabant, cujusmodi Carpocratiani, Cerinthus, Ebionitæ; quam eos, qui carnem non revera susceptam, sed sola specie contendebant, quos Græci Δοκητὰς & Φαντασιαςὰς nominant : quo ex genere extiterunt SIMON *Magus*, VALENTINUS, MARCIO, MANES & alii. Contra hos, qui in primis statim nascentis ecclesiæ temporibus impietatis erexerunt funestum vexillum, mox obfirmata est christiana veritas, & definita, ut a solis aperte & obstinate refragariis quidquam non sani dogmatis proferretur: veluti sæculo tertio PAULI *Samosateni*, sequente PHOTINI, nostris temporibus Socinianorum error contra divinitatem Verbi

bi

bi graſſatus, ab omnibus exploſus, & diris devotus ſub ipſis initiis eſt.

Idem patet in dogmate de unione naturarum in CHRISTO.


X. Sed in illa de ἑνώσει, ſeu unitione Verbi divini cum humana natura, lite, quæ ſerius invaluit, & NESTORII, poſteaque EUTYCHIS contrariis ſtudiis eſt excitata & fota, non ad unam eandemque regulam omnia veterum ſunt exacta dicta. Unicum CYRILLUM *Alexandrinum* proferamus, qui ad aſſerendam myſterii Incarnationis fidem divino concilio difficilibus illis, quibus maxime impetita eſt, temporibus datus eſt. Hic dum NESTORII inſaniam acrius inſectatur, preſſiusque urget, nonnulla effatus eſt, quibus poſtea EUTYCHES ad nefarium ſuum dogma ſtabiliendum maligniter eſt uſus. Ut hinc non ſatis fuerit, ſi ita loqui fas ſit, ad limanda quævis de iſto Incarnati Verbi myſterio dicta ex una tantum parte inceſſens NESTORII factio, niſi ei e contrario reſpondens EUTYCHIS undique catholicum dogma ad præſcriptos certos terminos addiceret, & concluderet. In Monothelitarum hæreſi, quæ ad idem Incarnationis dogma ſpectat, & Eutychianæ ramentum eſt, ſatis idem patet, quam non uniusmodi ſanctorum


Patrum, ac etiam ſummorum Pontificum fuerint effata; donec urgentibus hæreticis, & attentionem exſtimulantibus, uniformis dictorum ratio enata eſt & conſtituta, quibus limitibus conſiſtere debet cui ſtandi in fide, amor ineſt ac cura.

Quod ſectarios hodiernos confundit, commendat autem diſputandi exercitium.

XI. Quæ res acerbe ferit noſtri ævi ſectarios, qui alia, quam ex ultima antiquitate repetita teſtimonia audire detrectant, de illis dogmatibus, quorum firmitas necdum laceſſita multam contentionem non exigebat, aut ſapiens œconomia non promiſcue propalabat; ſeu etiam, cum unius ſolum partis labefectabatur fides, ad alteram pronius, procliviusque ferebat diſputatio. Nobis vero illud inde confectum, concluſumque emergit: ſanctiones, ac placita catholica, cum adverſarios patiuntur, & impugnantur, invaleſcere, & ſolidari, & quæ antea libertate effandi improvidis fraudi eſſe potuerint, nunc etiam dictionum formulis adſtricta, nutandi, titubandique poteſtatem auferre. Id quod mirifice pugnarum ſcholaſticarum dignitatem attollit, quibus veritatis propugnatio propoſita eſt, non refragandi obnitendique protervitas; ut jure dialecti-

lectica, seu disputandi ars sicut a PLATONE & aliis philosophis, tum etiam SS. Patribus sepimenti instar disciplinis cæteris, ita theologiæ haberi possit, ejusque usus in disputationibus summe sit commendandus, si ita instituantur, ut hactenus a nobis est præscriptum.





INDEX
RERUM MEMORABILIUM.

A.

Anni ſcholaſtici rebus neceſſariis ac theologo dignis tranſigendi. 116. 124. 125. ſeq. Quod paſſim hodie a ſcholaſticis negligitur. Ib. ſeq.

Argumentandi ratio ex ſacra ſcriptura. 129. 130. ſeqq. Per conſequentias. 133. 134. Et rationis principia oſtenditur. 135. ſeqq. Alia item forma ex traditione 138. 139. ſeqq.

Argumentationum theologicarum ſedes quæ ſint genuinæ? 67. 98. ſeq. Quomodo iis rite utendum? 71.

Ariani doctrinam de ὁμοουσίῳ quare rejecerint? 76.

Axiomata rationis qualia in in concertationibus theologicis afferenda. 88. Eorum in theologia uſus, 128.

C.

Ciceronis locus ex Arati verſu de diſputationum utilitate depromtus explicatur. 27. ſeqq.

Collegia diſcipulorum profectui maxime utilia. 15. ſeq. 120. Varia eorum genera adferuntur. 17. 18. ſeqq.

Concluſio theologica quid? 92. Quomodo ſit probanda? Ib.

Conſequentiæ quid ſint? 93. Earum in theologia uſus ſumme neceſſarius. Ib. ſeq. Quæ iis ſecuritas in diſputationibus theologicis ſervetur. 96. 106. 110. De earum robore cum Proteſtantibus controverſia. 98. 100. ſeq.

Cynoſura quid & unde compoſita? 27. Ad eam Phœnices reſpicientes curſum ſuum dirigunt. Ib. Applica-

tur

tur ad dialecticum tractandi modum? *Ib.*

D.

Declamationes gymnasticæ theologiæ canditatis maxime utiles. 20. *seq.* Veteribus usitatissimæ. 22. Hodie pene negliguntur. *Ib.*

Demonstrationes veri nominis quæ sint? 128. In theologia etiam quam maxime obtinent. *Ib.* Hujus rei exempla ex sacra scriptura. 129. 130. *seqq.*

Dialectica murus ad communienda theologiæ dogmata. 75. *seq.*

Disputationes moderatæ animi attentionem plurimum juvant. 40. *seq.* Perpetuæ fontium theologicorum neglectum induxere. 120. 121. Ad veritatem indagandam. 42. Ac contra adversarios defendendam maximum usum præstant. 25. 43. *seqq.* Multis hodie vitiis laborant. 45. 46. Quomodo hæc corrigenda? 48. 50. *seqq.* Theologicæ ratione, ecclesia, & verbo divino conficiendæ. 112.

Disputatorum officia. 34. *seqq.* Et vitia. 47. Modernorum præsertim scholasticorum. 49. 50. 53. *seqq.*

Distinctionum scholasticarum perplexitas. 58.

Dogmata *mixta* quæ vocentur? 89. In iis quodnam judicium rationi competat? *Ib. seq.*

Donatistæ rationis usum e theologia abesse volunt. 76.

Du-Pinii mens circa prælectionem auctorum. 4.

F.

Fides ab hæreticis impugnata majorem firmitatem ac lucem accipit. 142. Ejus rei varia exempla. 143. *seq.* 149. 150.

Fontium theologicorum studium commendatur. 114. Neglectus carpitur. 115.

G.

Gregorius *Nazianz.* disputationes longius accersitas damnat. 64. 65.

I.

Judicium *discretionis*? 89. *Contradictionis*? 90. *seq.* & *consequentiarum* quid? 93. Quomodo hæc rationi com-

competant in dogmatibus & myſteriis fidei? 91. 92. *ſeqq.*

M.

Mabillonius auctorum prælectionibus ſcriptionem præfert. 2. 3. Ejus rationes expenduntur. 8. 9. 11. *uſque* 15.
Marcellus *Ancyran.* in Arium vehementius invectus in Sabellianiſmū incidit. 145.
Medius terminus in diſputatione theologica unde aſſumendus. 86. 87.
Methodus docendi diuturno potius uſu, quam regularum præſcriptis haurienda. 1. 2. *ſeq.*

N.

Neglectus fontium theologicorum carpitur. 115.
Novatores ſolam ſcripturam controverſiarum judicem ſtatuentes. 97. Dogmatum ſuorum firmitatem ſuſtollunt. *Ib.* Principiis rationis fallibilis innixi. *Ib. ſeq.* Eorum conſequentiæ quibus vitiis laborent. 103. *ſeq.* Unde conſequentiarum robur deſumendum putent? 106. Cauſa cadunt. *Ib. ſeq.*

P.

SS. Patres in diſputationibus domeſticis ſobrii, contra eccleſiæ hoſtes bellaces. 118. Eorum exemplum imitandum proponitur. *Ib. ſeq.* 139. Ex iis multi ante Arium de Trinitate incautius ſunt locuti. 143. *ſeq.* De divinitate item Spiritus S. 146. Et verbi Incarnati. 149. *ſeqq.* Unde hoc acciderit? 144. *ſeq.*
Perronii *Card.* ars ſingularis argumentandi contra Proteſtantes. 70. Unde ei hujus rei occaſio enata? *Ib.*
Perſpicuitas verborum potiſſimum in diſputationibus conſectanda. 62. 63.
Poſſevini de prælectionum utilitate ſententiæ. 7
Prælectiones profeſſoribus & diſcipulis utiliſſimæ. 3. 4. 6. *ſeqq.*
Prudentii deſcriptio ſophiſticarum concertationum. 65.

Q.

Quæſtiones inutiles ac ſupervacaneæ e theologia eliminandæ. 122. *ſeq.* Via & ratio oſtenditur, qua fieri iſtud queat. 124. 125. *ſeq.*

R.

R.

Ratio in argumentis theologicis maximi eſt uſus. 75. 79. Ac neceſſitatis. 82. 83. ſeq. 93. 94. ſeqq. Qui ejusdem ex theologia principia exeſſe volunt, rationis expertes ſe oſtendunt. 76. 77. 81. Ad Atheiſmum & innumeros alios errores proni. 78. Cum fide nequaquam pugnat. 81. Inſtrumenti loco tantum adhibenda in rebus theologicis. 84. Quis ejus rectus uſus. 80. 82. Duo circa eam ſcopuli caute declinandi. 85.

Romana reſpublica ab exteris vinci neſcia, inteſtinis bellis conſumitur. 124.

S.

Scholaſtici cum Græcis ante Trojam comparati. 66. 67. Eorũ concertationes haud raro veritatem abſcondunt, non explicant. 54. Frequenter logomachiis refertæ. 55. ſeq. Quando præter loquacitatem & terminorum obſcuritatem nihil fere ſolidi habent. 57. 58. ſeq. Multæ ſolo nomine theologicæ ſunt. 64. Earum graphica deſcriptio. 59. 60.

Scripta dictandi incommoda. 6. 7.

Socratica methodus qualis fuerit? 23. Ab Arceſila revocata. *Ib.* Num præſtet methodo diſputandi per ſyllogiſmos? 24. *ſeq.*

Spiritus S. divinitas variis opinionibus primis temporibus obnoxia. 146.

T.

Terminos philoſophicos theologus ignorare nequit. 94. 95.

Theologizandi perverſa multorum ratio. 73. Maximum reipublicæ chriſtianæ damnum infert. *Ib. ſeq.*

V.

Verbi Incarnati divinitas a variis varie laceſſita. 147. 148.

Veritas diſputationum finis. 33. A ſcholaſticis pene neglectus. 53. *Connexionum & ſententiarum* quid, & quale diſcrimen? 93. 113. Ejus ſimulacrum cur veſtibus ſpoliatis exhibeatur? 42.

Veronii cum Proteſtantibus de principiis rationis & conſequentiis lis. 98. 99. 103. 104.

W.

W.

Wedelius in quo judicium fidei infallibile constituat? 106. & ad quos arbitrium consequentiarum in rebus fidei referat. *Ib. seq.* Ejus systema examinatur. 108. *seqq.*

Werenfelsii graphica descriptio disputationum scholasticarum. 59. 60.

FINIS.



ERRATA.

Pag. 31.	Lin. 6.	pro *διανοτηκὴ*, lege *διανοητηκὴ*.	
36.	11.	*cognitio*, lege cognito.	
46.	3.	*ſcholaſticorum*, lege ſcholaſticarum.	
122.	6.	*addictis*, lege additis.	
127.	4.	*contingant*, lege contingat.	